Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

J. R.
30. 6. 11.
Pr. pl. – 222. Fnd.
Pr. pl. – 526. Fnd.
Je – 3184 1.2.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1850930708/phys_0002
DFG

D. CAROLI GOTTLIEB
KNORRII ICti,
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS
INTIMIS, REGIAE FRIDERICIANAE DIRE-
CTORIS ET FACVLTATIS IVRIDICAE
ORDINARII

# OBSERVATIONES

AD

# HEINECCII
# ELEMENTA IVRIS CIVILIS
SECVNDVM ORDINEM INSTI-
TVTIONVM ADORNATA

QVAS

EX SHEDIS PATERNIS EDIDIT
FILIVS
D. ERNESTVS FRIDERICVS KNORRE
PROFESSOR IVRIS PVBLICVS ET FACVLTA-
TIS IVRIDICAE ASSESSOR.




HALAE MAGDEBVRGICAE
IMPENSIS CAROL. HERMAN. HEMMERDE
MDCCLVIII.

Bibliotheca Academiae Rostochiensis

# PRAEFATIO

Variis illis compendiis, quæ non infimi ceteroquin subsellii JCti ad Institutiones Justinianeas explicandas primaque totius legitimæ scientiæ elementa illustranda diuersis temporibus

compoſuerunt; illud inprimis, quod ante plures iam annos beatus Heineccius, celeberrimus olim in hacce Fridericiana Juris Anteceſſor concinnauit ac ſub Titulo Elementorum Juris ciuilis ſecundum ordinem Inſtitutionum adornatorum euulgauit, longe anteferendum eſſe, certum eſt quam quod certiſſimum. Etenim beatus Auctor in eo non ſolum ſecundum bonæ methodi regulas prima Juris Romani prin-

principia magna cum perſpicuitate tradidit: verum etiam ad ea quoque mentem direxit, quæ moribus noſtris obtinent. Quamobrem beatus Parens, qui in Prælectionibus ſuis ad ipſum textum Inſtitutionum commentari hactenus ſolitus fuerat, poſtea conſilium mutabat, ac e re Auditorum ſuorum eſſe arbitrabatur, ſi Heineccii compendium Inſtitutionum fundamenti loco adhiberet. Vt autem Auditores, qui ſcholis Inſtitutionum intererant, eo maiores fructus ex

eius institutione perciperent, selectas quasdam obseruationes elaborauit easdemque cum Auditoribus communicauit. Quemadmodum vero beatus Parens in conscribendis hisce obseruationibus omnem curam ac sollicitudinem adhibuit, ac in iis partim ea, quæ Auctor in medium protulit, & rationibus & legibus vlterius confirmauit, partim plane omissa scitu tamen necessaria suppleuit, partim denique Auctorem falsam opinionem interdum amplectentem confuta-

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850930708/phys_0010
DFG

futauit: ita eas eodem consilio, quo ante vnius ferme anni spatium eius obseruationes ad Ludouici Doctrinam Pandectarum edidi, in gratiam illorum, qui Jurisprudentiæ operam nauant, publici iuris facere nullus dubitaui. Quod reliquum est, beati Parentis obseruationes Juris feudalis ad ductum beati Struuii Elementorum Juris feudalis exaratas, nec non eiusdem Obseruationes Juris Ger-

Germanici priuati iuxta ordinem beati Engauii Elementorum Juris Germanici conscriptas, in quibus nobilissimæ duæ Jurisprudentiæ partes illustrantur atque explicantur, propediem cum erudito orbe communicabo. Scrib. in REGIA FRIDERICIANA die 1. Septembr. CIↃ IↃ CCLVII.

D. ERNESTVS FRIDERICVS KNORRE.

Proœ-

# Proœmium.

## Obſ. 1. ad §. II.

C*iceroni*) Jam ante Ciceronem fuerunt, qui talia tentarunt. Nam cum ex disputatione fori & interpretatione prudentum ius ciuile ſtricte dictum oriretur, illud primum a P. Mutio Pontifice maximo decem libris, M. Bruto ſeptem, M. Manilio tribus libris ſparſim collectum, Q. Mutius ſcæuola, Publii filius, Pontifex maximus in vnum corpus & generatim in libros XVIII. redegit, quod poſtea Pomponius libris XXXIX. fuit interpretatus (1).



(1) *l. 2. §. 39. 41. D. de orig. Jur.* HEINECCIVS *Hiſtor. Jur. Lib. I. §. 135. ſeq.*

Obſ. 2. ad §. II.

*Succeſſerit)* Laudat GELLIVS (2) librum Ciceronis de iure ciuili in artem redigendo, & QVINCTILIANVS (3) *M. Tullius*, inquit, *non modo inter agendum nunquam eſt deſtitutus ſcientia iuris, ſed etiam componere de eo aliquid cœperat.* Ex quo facile eſt ad intelligendum, cogitaſſe Ciceronem de conficiendo iuris ſyſtemate ipſique operi admouiſſe manus (4). Idem ſibi propoſuit Pompeius & leges in libros redigere voluit, in eo tamen inſtituto non perſeuerauit obtrectatorum metu (5). Deinde Cæſar idem cepit conſilium, & ius Ciuile ad certum modum redigere atque ex immenſa diffuſaque legum copia optima quæque ac neceſſaria in pauciſſimos conferre libros deſtinauit (6). Tandem Conſtantinum M. quoque de compilando corpore iuris cogitaſſe refert EVSEBIVS (7).

Obſ.

---

(2) *Noct. Attic. Lib. I. Cap. XXII.*
(3) *Lib. XII. Cap. III.*
(4) *Obſeruationes noſtræ ad Proœmium Inſtitutionum Obſ. 1. p. 4. ſeq.*
(5) ISIDORVS *Orig. Lib. V. Cap. I.*
(6) *cit. Obſeruat. noſtr. Obſ. I. not. 23. p. 11.*
(7) *Lib. VII.* Add. BEIER *ad Dig. Tit. de Orig. Jur. §. 146.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850930708/phys_0014
DFG

Obſ. 3. ad §. III.

*Natus)* Anno Chriſti 482. die V. Menſis Maji Tauriſii, educatus Achridæ ſeu Ochridæ, quam baſilica palatiisque ornatam vocauit Juſtinianam primam. Forte tamen vnum Tauriſii & Achridæ fuit nomen (8). Cum vero Benderinam patriam ei tribuat AGATHIAS (9) illamque PROCOPIVS (10) præſidium prope Tauriſium vocet: vero eſt ſimile, natalem locum modo ab arce Benderinam, modo ab oppido Tauriſium dictum eſſe (11).

Obſ. 4. ad §. III. Schol.

*Caſtigatus)* Scilicet BARONIVS ad annum 528. Juſtinianum litterarum expertem non fuiſſe ſcribit eiusque ſententiæ Auctores Vigilium & Euſtathium Pontifices adducit, Suidæque opponit & præfert, atque analphabeti vocabulum ex vſu

 loquen-

(8) DE LVDEWIG *vita Juſtiniani Cap. VIII. §. 1.*

(9) *Hiſtor. Lib. V. p. 307.*

(10) *de Aedif. Juſtinian. Lib. IV. p. 167.*

(11) HEINECCIVS *Hiſtor. Jur. Lib. I. §. 385.* Unſere Rechtliche Anmerckungen. *p. 185. ſeqq.* Plura dixi in *Obſervat. ad Proœm. Inſt. Obſ. 2. & 3.*

loquendi interpretatur ignarum quæstionum rerumque theologicarum. Mox ad annum 551. sibi contradicit atque Justinianum nunquam legere sciuisse scribit, vel ipsum foris inscriptum sacrorum titulum Bibliorum (12).

Obs. 5. ad §. V.

*Codices)* Qui olim a voluminibus distincti erant. Ita enim dicebantur libri quadrata vel quadrangula forma. Voluminum contra forma fuit in modum columellæ seu cylindri atque inuoluebantur & euoluebantur (13). Sed vulgari vsu omnes libri vocantur codices (14).

Obs. 6. ad §. V.

*Hermogenianum)* Non adeo expeditum est, quis fuerit Gregorius & Hermogenianus. JACOBVS enim GOTHOFREDVS

(12) *Obseruat. nostr. ad Proœm. Inst. Obs. 3. p. 20.*

(13) VOSSIVS *ad* CATVLLVM *p. 51. seq.*

(14) *l. 12. pr. D. de Legat. 3.* SALMASIVS *de modo vsur. Cap. 10.* SCHVLTINGIVS *Jurisprud. Antejust. p. 377. n. 9. 11. Obseruat. nostr. ad Proœm. Inst. Obs. 7. p. 41.* SCHWARZIVS *Diss. de ornamentis codicum veterum.*

DVS putat (15), Gregorium sub Constantino M. fuisse Præfectum Prætorio eiusque mentionem fieri in *l. 3. C. Theod. de annon. & tribut. l. 2. C. Theod. de contrah. emt.* Hermogenianum itidem sub Constantino M. eiusque liberis floruisse, euincit MENAGIVS (16). Collegit vterque constitutiones ab Hadriano vsque ad Diocletianum & Maximianum, & si non vterque saltem alteruter Codicem suum perduxit eousque, vnde incipit Theodosianus, siue ad annum Christi 312. Horum codicum fragmenta *Iurisprudentiæ Antejustinianeæ p. 683. seqq.* inseruit atque obseruationibus illustrauit SCHVLTINGIVS (17).

Obs. 7. ad §. V.

*Theodosianum)* Qui continet Christianorum Imperatorum a Constantino M. vsque ad Theodosium iuniorem constitutiones. Publicauit eum Theodosius anno Christi 438. Breuiarium huius Codicis Anianus iussu Alarici regis Gothorum compilauit, cuius per occidentem



(15) *In Prolegom. ad Cod. Theodos. Cap. I.*

(16) *Amœn. Iur. Ciuil. Cap. XI.*

(17) HEINECCIVS *Histor. Iur. Lib. I. §. 367. seq.* Plura dixi in *Obseru. ad Proœm. Inst. Obs. VIII.*

Universitäts Bibliothek Rostock https://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn1850930708/phys_0017 DFG

magna fuit auctoritas (18). Ipsum Codicem, qui integer ad nos non peruenit, doctissimo Commentario illustrauit IACOBVS GOTHOFREDVS. Prodiit Lugduni 1668. opera & studio ANTONII MARVILLII Anteceſſoris primicerii in Vniuersitate Valentina fol. Tom. VI. nec non Lipsiæ 1736-1743. Tom. VI. curante IO. DAN. RITTERO.

Obs. 8. ad §. V.

*Jussit)* Additis Nouellis, quæ post Codicem Theodosianum fuerunt promulgatæ. Fuit hic Codex abolitis prioribus, singulari Constitutione confirmatus (19).

Obs. 9. ad §. VI.

*Pandectas)* Quæ in L. libros distinxit, qui centum quinquaginta pene millia versuum comprehenderent (20). Versuum autem nomine non leges vel paragraphos intelligi, ex eo liquet, quod in iisdem saltem 8134. leges numerentur. Recte igitur obseruant CONTIVS (21) & MENAGIVS (22), sub versibus intelligi lineas,

(18) STRVVIVS *Histor. Jur. Cap. 2. §. 12. Cap. 5. §. 2.*
(19) STRVVIVS *l. c. Cap. 3. §. 2.*
(20) *l. 2. §. 1. C. de vet. iur. enucl.*
(21) *lect. subseciuar. Lib. I. Cap. 8.*
(22) *Ad Laert. Lib. VII. n. 33.*

neas, quarum numerum in ima cera scribebant. Quod repetit GVNDLINGIVS (23).

Obs. 10. ad §. VI. Schol.

*Reduxit)* Qui tamen mediam Jurisprudentiam de iure, quod post XII. Tabulas vsque ad Cæsares obtinuit, intelligendam & neutiquam vltra liberæ ciuitatis tempus extendendam esse diserte adfirmat. Mediam iurisprudentiam vero in *cit. §. 3 Inst.* interpretationem prudentum vocari vel ex eo intelligitur, quia eam iure prætorio correctam & lege XII. Tabularum quidem iuniorem, imperiali autem dispositione anteriorem dicit Imperator. (24).



(23) *In Gundlingianis Part. 4. Obs. 5.* ILLVSTRIS VHLE *specim. obseruat. ad Proœmium Institut.* B. HEINECCII *§. VII.* Videsis quæ docui *Obs. ad Proœm. Inst. Obs. X. p. 49.* Conf. BRENCMANN. *Histor. Pandect. Florent.* SCHWARZIVS *Diss. An omnia Pandectarum exemplaria, quæ adhuc extant, e Florentina manauerint.*

(24) Plura docui in *Obs. ad Proœm. Inst. Obs. XI.* Conf. HOFFMANN *Histor. Jur. p. 44.*

Universitäts Bibliothek Rostock https://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn1850930708/phys_0019 DFG

Obſ. 11. ad §. VII.

*Definiuit)* Hæ deciſiones potiſſimum ad Johannem & Julianum Præfectos prætorio latæ ſunt. Dum autem vna die plures ad eosdem fuerint directæ, pro diuerſis ſæpe capitibus vnius deciſionis ſunt habendæ, alias numerus earum quinquagenarium longe excederet. Vnde eas in varias particulas discerptas Codici repetitæ prælectionis inſeruit Imperator. STRAVCHII Commentarius ſaltim ad decem leges eſt directus. Luculentior eſt MERILLII Commentarius editus Pariſiis 1618. & Neapoli 1720. 4. (25).

Obſ. 12. ad §. VIII. Schol.

*Citari)* Non vero potuiſſet eum citare, niſi ſua ætate floruiſſet. Accedit Theophilum Juſtinianum vocare dominum Imperatorem noſtrum, Theodoram piiſſimam dominam noſtram, conſtitutionem Juſtiniani nuper promulgatam, vel haud ita longo ab hinc tempore emiſſam. Quæ ſane omnia non ſunt verba de principe dudum fatis functo diſſerentis (26). Sed cum de Thalelæi loco ſub iudi-

(25) HEINECCIVS *Hiſtor. Jur. Lib. I. §. 395. Obſeruat. noſtr. ad Proœm. Inſt. Obſ. XII.*

(26) GVNDLING *in Gundlingian. Part. 2. Obſ. 2.*

iudice lis sit, alii ad Stephanum Justiniano verosimiliter coæuum prouocant (27).

Obs. 13. ad §. X. Schol.

*Codice)* Scilicet recognito & nouo. Bene tamen monuit HEINECCIVS (28), fieri potuisse, vt constitutiones quædam codici insertæ fuerint & nihilominus intercederint, cum græce fuerint scriptæ (29).

Obs. 14. ad §. XII.

*Juliano)* Circa annum Christi 570. Nouellas non quidem vertit integras, aut ad verbum, sed in epitomen contraxit, prologis tamen & epilogis resecatis. Continet hæc epitome 125. Nouellas atque in duos est distincta libros (30).

Obs. 15. ad §. XIII.

*Videtur)* Decipiuntur procul dubio, qui Irnerium seu Wernerum natione Germanum & Doctorem Bononiensem authenticarum auctorem esse dicunt. Nam



(27) OTTO *Comment. ad Inst. h. t. §. 3. n. 2. Obs. nostr. ad Proœm. Inst. Obs. XIII.*

(28) HEINECCIVS *Histor. Jur. Lib. I. §. 396.*

(29) *Obs. nostr. ad Proœm. Inst. Obs. XV.*

(30) GRAVINA *de orig. Jur. Lib. I. §. 136.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850930708/phys_0021
DFG

Gregorius M. qui exeunte seculo Justinianeo floruit, iam ad quasdam prouocasse dicitur (31). Igitur vero est simile, statim post Justinianum interpretem quendam summaria Nouellarum Codici adiecisse, aucta postea a ICtis papiensibus & demum Irnerio (32).

Obs. 16. ad §. XIV.

*Compilati)* Sed priuata saltem auctoritate tempore Friderici Barbarossæ hanc compilationem rerum iudicatarum & constitutionum feudalium fecerunt. Non vero Hugolinus a Porta Rauennate Friderici I. ætate, sed Hugolinus de Presbyteris tempore Friderici II. Nouellis Justiniani librum feudorum adiecit additis Fridericorum & Conradi III. Constitutionibus, iisque quæ vsu fori immutata

(31) *Lib. XI. Ep. 54.*

(32) STRAVCHIVS *Diss. Acad. quart. quæ inscripta, Irnerius non errans.* PAGENSTECHER *Irnerius iniuria vapulans.* CORN. VAN BYNCKERSHOECK *Diatriba de auctore auctoribusque authenticarum in opuscul. Tom. I. p. 139.* Hallische Beyträge zu der Juristischen gelehrten Historie. Sechstes Stück *p. 335. seqq. Obs. nostr. ad Proœm. Inst. Obs. XVI. & XVII.*

ta erant. Qui liber inde decimæ collationis nomen accepit. Quod vero eum confirmauerit Fridericus II. incertum est (33).

Obs. 17. ad §. XV.

*Codex*) Sub iudice lis est, derogetne Codex Digestis? Quam merito damus secundum Auctorem, non solum quia principum constitutiones tempore posteriores potiores sunt his, quæ istas præcesserunt (34); sed etiam quia Justinianus codicem istum vbiuis obseruari præcepit (35).

Liber

---

(33) Plura dixi in denen Rechtlichen Anmerckungen *Num. XII. p. 166. seq. Histor. Jur. Germ. Canon. & feudal. Cap. III. §. 3. seqq. & Obs. ad Proœm. Inst. Obs. 18.* Conf. ILLVSTRIS GEORGII LVDOVICI BOEHMERI *commentatio de ætate vetustæ collectionis consuetudinum feudalium, quam vulgo libros feudorum vocant in* EXCELL. JENICHEN *Thesauro Juris Feudalis Tom. I. p. 197.*

(34) *l. fin. D. de Const. princip.*

(35) Scilicet §. 4. *Constitutionis de Codice confirmando.* STRVVIVS *Histor. Jur. Cap. III. §. 8. p. 317.*

# Liber I. Titulus I.

## De

# Justitia & Jure.

### Obs. 18. ad §. XVIII. Schol.

*Stoicos)* Quia scilicet Zeno minime vt aliæ philosophorum sectæ, a rebus gerendis auocabat, eiusque secta turbidos & negotiorum appetentes facere videbatur (36). Quorsum pertinet verbosa Vlpiani declamatio de vera & non simulata philosophia (37).

Obs.

---

(36) TACITVS *Lib. XIV. Annal. Cap. 58.* HERING *Progr. de stoica veterum Romanorum Jurisprudentia in* SLEVOGTI *Opusculis de sectis & philosophia ICtorum p. 389. seq.* SCHAVMBVRG. *de philophia veterum ICtorum stoica. Spec. IV.* J. H. BOEHMERVS *Progr. de philosophia ICtorum stoica.* WESTPHAL *Diss. de stoa ICtorum Romanorum eiusque historia & ratione.*

(37) *l. 1. §. 1. D. de Just. & Jur.* GRAVINA *de orig. Jur. Lib. I. §. 44.*

Obs. 19. ad §. XXII. Schol.

*Docet )* Putat scilicet THOMASIVS (38), ICtos in his respexisse ad veterum tres virtutes cardinales ad voluntatem spectantes, temperantiam, vt moderate vtamur rebus iucundis, fortitudinem, vt magnanimiter sustineamus res aduersas, iustitiam vt aliis hominibus nullas demus de nobis iuste conquerendi occasiones. Igitur honeste viuere ad temperantiam, neminem lædere ad fortitudinem, suum cuique tribuere ad iustitiam pertinet.

Obs. 20. ad §. XXV.

*Diuinarum )* VIpianum rerum diuinarum nomine non res diuini iuris populi Romani, sacras nempe, religiosas & sanctas intellexisse, ex eo liquet, quia stoici ius naturale vocabant diuinum, sicque res naturales diuinarum nomine veniunt. Vt itaque Jurisprudentia sit rerum naturalium & humanarum cognitio, id est diuini humanique iuris scientia (39).

Liber

(38) *Not. ad Inst. Justin. h. t. p. 6.*

(39) PERRENONIVS *Animaduers. Iur. Lib. I. Cap. 24. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 3.* ILLVSTRIS VHLE *Specimen observationum ad Lib. I. Tit. I. Inst. B.* HEINECCII §. 7.

# Liber II. Titulus II.

## De

# Jure Naturæ, gentium & ciuili.

### Obſ. 21. ad §. XXXVI. Schol.

*Faciebant*) Dicebant enim animalia ratione carere (40), & SENECA (41), *in homine*, ait, *optimum quid eſt? Ratio, hac antecedit animalia, Deos ſequitur. Quid in homine proprium? Ratio.* Inde quoque ius hominibus cum brutis commune eſſe negabant (42). Sunt tamen qui putant, ſtoicos ſimulacrum rationis brutis tribuiſſe, cum CICERO (43) dicat: *Atque etiam in beſtiis vis naturæ inſpici poteſt, quarum in fœtu & educatione laborem cum cernimus, naturæ ipſius vocem videmus audire (44).*

### Obſ. 22. ad §. XXXIX.

*Introductum*) Cum vero nunquam vel omnes

---

(40) *pr. Inſt. Si quadrupes.*
(41) *Epiſt. 76.*
(42) CICERO *de Finib. bon. & mal. Lib. III. Cap. 20.*
(43) *cit. Lib. 3. Cap. 20.*
(44) GVNDLING *in Gundling. Part. XV. Obſ. 3. §. 7.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850930708/phys_0026
DFG

omnes vel moratiores gentes, condita ciuitate vni Imperanti se submiserint, a quo lex aliqua vniuersalis diuersas gentes propria vi obligatura proficisci potuerit, consequens est, vt negata caussa, merito negetur effectus (45). Sed si quis fundamentum huius iuris ex consensu gentium deducere vellet, mutaretur status controuersiæ. Nam consensus in pactum vel contractum non in nouam iuris speciem transiret, si quidem proprie iuris vocabulo vtamur. Pacta gentium seruanda esse ipsum ius naturale præcipit. Sicuti vero pacta priuatorum ius ciuile dici nequeant: ita nec gentium pacta ius gentium dici possunt (46). Tale autem pactum inter gentes saltem moratiores vnquam initum fuisse probari nequit (47).

Obs.

---

(45) TITIVS *ad* PVFFENDORFFIVM *de off. hom. & ciu. Obs. 91. n. 14. seqq.*

(46) HERTIVS *Diss. de Lytro Sect. 1. §. 2. seqq.*

(47) BARBEYRACIVS *ad* PVFFENDORFFIVM *de off. hom. & ciu. Lib. 2. Cap. 3. §. 23. n. 2.* LEYSERVS *Med. ad Pand. spec. 3.* Conf. GOTTFR. VOGEL Allgemeines Völcker-Recht. IO. IAC. MOSER Abhandlung von dem Völcker-Rechte überhaupt und dem Europäischen

Obſ. 23. ad §. XLII.

*Referunt.)* GROTIVS (48) ius diuinum voluntarium in vniuerſale & particulare diuidit. Sed Deum legem poſitiuam vniuerſalem toti humano generi promulgaſſe probari nequit. Et quæ vulgo ad hanc legem referunt ſunt vel concluſiones iuris naturæ, vel pertinent ad præcepta honeſti & decori, vel prorſus nos non obligant (49).

Obſ. 24. ad §. XLIV. Schol.

*Promulgatum.)* Fruſtra itaque ſunt qui ius non ſcriptum in conſuetudinarium & ore prolatum diuidunt. Quorum illud tacito, hoc vero expreſſo legislatoris conſenſu ſine ſcriptura declarato nititur. Nam cum ſcribere leges ſit ICtis promulgare leges: conſequitur, vt ius ore prolatum ad ſpecies iuris ſcripti pertineat, cum mos ſeu

---

päiſchen insbeſondere. B. L. B. DE WOLFF *Ius Gentium.* L. B. DE ICKSTATT *Elementa Iuris Gentium.*

(48) *de Iur. Bell. ac Pac. Lib. 1. Cap. 1.* §. 15.

(49) THOMASIVS *Obſeruat. Halenſ. Tom. VI. Cap. 27.* §. *43.* BVDDEVS *Theolog. Moral. Part. 2. Cap. 1.* §. *9. Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 2.*

seu consuetudo, neque scriptura, neque vlla promulgatione expressa indicetur (50).

Obs. 25. ad §. XLVIII. Schol.

*Pertinebant)* Magistratuum enim creatio, legum iussio & belli ac pacis arbitrium soli populo competebat. Vrgente tamen extrema necessitate senatus poterat SCto in consules summum & latissimum transferre imperium, vt possent exercitum parare, bellum gerere, coercere etiam iniussu populi (51).

Obs. 26. ad §. XLVIII. Schol.

*Anni)* Poterat tamen SCtum denuo confirmari in senatu, quod dicebatur SCtum inducere (52). Immo aliquando SCta plebiscitis firmata fuisse, docet DYONISIVS HALICARNASSEVS (53).

Obs. 27. ad §. L.

*Recesserunt)* Nullius principis antiquioris extant constitutiones, quam Hadriani,



(50) Vid. STVRM. *Diss. de distinctione iuris scripti & non scripti antiquitati restituta.*

(51) SALVSTIVS *de bell. Catilin. Cap. 29.*

(52) CICERO *pro Domo Cap. 4.*

(53) *Lib. X. p. 676.*

ni, sub quo noua quædam forma iuri publico æque ac priuato accessit. Interim tamen adhuc condita fuerunt SCta, quippequæ demum post Antoninorum tempora plane defierunt (54).

Obs. 28. ad §. L. Schol.

*Diximus)* Scilicet senatus populusque sensim Augusto plures decreuit honores, & modo hanc, modo illam summi Imperii partem detulit. Quæ SCta in honorem eius subinde facta postea repeti consueuerunt, quotiescunque noui Imperatores inchoabant imperium & simul sumta regiæ legis nomen acceperunt Antoninorum temporibus (55).

Obs. 29. ad §. LV.

*Magistratus)* Prouinciæ scilicet recte administrandæ ciuilisque disciplinæ regendæ

(54) HEINECCIVS *Syntagm. Antiq. Roman. h. t. §. 57.* IDEM *Histor. Iur. Lib. I. §. 281.*

(55) HVBERVS *Digress. Lib. 1. Cap. 16.* HEINECCIVS *Histor. Iur. Lib. 1. §. 178. seq.* GRONOVIVS *Oratio de Lege Regia.* NOODT *Oratio de iure summi Imperii & lege Regia.* DE GIRAVD *Diss. de Lege Regia.*

dæ cauſſa. Quæ ſi dabantur publice, commonitoria, ſi clam, ſecreta vocabantur (56).

Obſ. 30. ad §. LVI.

*Nitantur)* Quæ clauſula iure Ciuili expreſſe inſerenda reſcripto, eaque omiſſa precator fructu reſcripti carere iubetur, ſi vel maxime veritatem in iudicio deducere velit (57). Sed iure Canonico tacite reſcripto ineſt & ſubintelligitur (58).

Obſ. 31. ad §. LVI.

*Tendant)* Tunc enim reſcripto exceptio ſub & obreptionis opponitur. (59). Quod ſi vero manifeſtum eſt, voluiſſe hoc principem conſtituere contra ius commune, de poteſtate dubitandum non eſt (60).

Obſ. 32. ad §. LVII.

*Partes)* Et ſic a momento publicatio-



(56) *l. 1. 2. C. de Mand. princ.*

(57) *l. 7. C. de diuerſ. princ. reſcript.*

(58) *Cap. 2. X. de Reſcript.* BOEHMERVS *iur. Eccleſ. Proteſt. Lib. 1. Tit. 3. §. 4.* ALEMANNVS *Diſſ. de clauſulis reſcriptorum.*

(59) REDECKER *Diſſ. de reſcriptis principum ſub & obreptitiis.*

(60) BRVNNEMANN *ad l. 7. C. de precib. Imp. off.*

nis in rem iudicatam transeunt, nec eis vlla sub & obreptio obiici potest. (61).

Obs. 33. ad §. LX. Schol.

*Distingunt)* Scilicet 1) priuilegium primum a principe est impetrandum, iura singularia vero legibus iam continentur, vnde etiam legis beneficia dicuntur. 2) Concessio priuilegii est facti adeoque ab allegante probanda, e contra iura singularia probatione opus non habent. 3) Priuilegia personalia ad heredes non transeunt, bene autem ex regula iura singularia. Nam aliquando nec hæc ad eos transeunt, veluti competentiæ beneficium forique priuilegium.

Obs. 34. ad §. LXI. Schol.

*Seuèritas)* Fuit enim in coercendis delictis immodicus. Nam nummulario non ex fide versanti pecunias manus amputauit mensæque eius affixit. Et tutorem, quod pupillum, cui substitutus heres erat, veneno necasset, cruce affecit.

Obs. 35. ad §. LXIII.

*Statuere)* Omnia enim priuilegia, cum exceptionem a regula contineant, stricte sunt

(61) BERGER *Oeconom. Jur. Lib.* 1. *Tit.* 1. §. 23. *not.* 5.

sunt interpretanda (62). Nec obstat *l. 3. C. de Const. Princip.* in qua beneficia principis quam plenissime esse intelligenda dicitur, quia hoc sensu accipienda, vt cum effectu sint intelligenda, ne priuilegiato euadant inutilia (63).

## Obs. 36. ad §. LXVI.

*Periit)* Fuerunt tamen qui fragmenta Edicti perpetui e Digestis & ICtorum Commentariis colligerent. EGVINARIVS enim BARO in libris manualium illud ad generales quasdam theses & regulas reuocauit. Sed maiori cura id egit RANCHINVS, cuius Edictum prodiit Parisiis anno 1597. 8. idque recudi fecit SCHMINCKIVS in Syntagmate critico variorum auctorum. Demum IACOBVS GOTHOFREDVS ordinem huius edicti ex veterum ICtorum commentariis eruit & inter fontes iuris ciuilis edidit (64).



(62) *l. 14. D. de Legib.* THOMASIVS *de interpretatione beneficiorum principis.*

(63) *per l. 1. D. Ad Municipal.* BOEHMERVS *Diss. de finibus priuilegiorum regundis §. 9. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctrin. Pandect. Obs. 16.*

(64) HEINECCIVS *Histor. Iur. Lib. I. §. 276. seq.*

Universitäts Bibliothek Rostock https://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn1850930708/phys_0033 DFG

Obs. 37. ad §. LXX.

*Magistratu)* In quo differunt actiones ab actibus legitimis. Actus enim legitimi etiam extra ius sine magistratu explicari poterant, legis actiones nunquam nisi apud magistratum diebus fastis formulisque solennibus. Dicti autem legitimi, quod legitima certaque in iis solennitas adhibetur, nec verborum solum, sed & saepe rerum. Quod de aere & libra in alienationibus adhibitis notissimum est(65).

Obs. 38. ad §. LXX. Schol.

*Tribuunt)* Putat GOTHOFREDVS (66), saltem illos quinque actus legitimos reiicere conditionem & diem, reliquos eam recipere. Certe tacite recipiunt acceptilatio tutorisque datio, veluti si accepti feratur dos nuptiarum caussa promissa, tunc demum egisse aliquid acceptilatio intelligitur, si nuptiae secutae fuerint. Et tutoris dationi tacite inesse potest conditio, si sarisdederit, immo expresse adiici potest (67).

Obs.

(65) HEINECCIVS *Histor. Iur. Lib. I. §. 43. eq.*

(66) *Commentar ad. l. 77. D. de reg. iur.*

(67) *l. 6. §. 1. D. de Tutel.*

Obſ. 39. ad §. LXXII.

*Frequentia.)* Quot vero actus faciant frequentiam, definitum non eſt. Igitur iudicis arbitrio definiendum relinquitur. Idem dicendum de diuturnitate temporis, cum in iure expreſſum non ſit, quantum debeat eſſe tempus, vt longa ſit conſuetudo (68). Sufficit enim tantum tempus eſſe elapſum, per quod actus iſti in notitiam principis venire potuerint, ſicque de eius tacito conſenſu dubitandum non ſit. Saxones requirunt, vt conſuetudo per triginta annos & vltra obtinuerit, idque tempus a die primi actus computatur. Quod inde venit, quia Germanis 30 anni fuerunt ſeculum.

Obſ. 40. ad §. LXXII.

*Probari.)* Conſuetudo quæ legi diuinæ aduerſatur dicitur irrationalis. Sicuti vero princeps non voluntate expreſſa, ita



(68) *l. 1. D. de iur. deliberand.* Conf. SLÜTERVS von einer zu Recht beſtändigen Gewohnheit. HOFFMANN *Diſſ. de iure conſuetudinario.* KOENIG *Diſſ. de iure conſuetudinario.* SIMON *Diſſ. de iure conſuetudinario.* THOMASIVS *Diſſ. de iure conſuetudinis & obſeruantiæ.* REINHARDT *Diſſ. de iure conſuetudinario.*

nec tacita eam mutare aut tollere potest. Igitur hoc requisitum non est consuetudini proprium, sed omnibus humanis legibus commune. Inde Germani in proverbio dicunt: Hundert Jahr unrecht ist nicht eine Stunde recht (69).

# Liber I. Titulus III.
## De
# Jure Personarum.

### Obs. 41. ad §. LXXV.

*Persona)* Personæ vox a comicis in Crorum scholas est traducta & significat faciem fictam seu appositiriam, qua vtebantur actores (70).

### Obs. 42. ad §. LXXIX.

*Prohibeatur)* Libertas est vel absoluta, vel restricta. Illa est facultas eius, quod cuique facere libet, hæc addit, nisi quid vi aut iure prohibeatur. Sed absoluta inter homines non datur, quia omne ius humanum, id est omnis humana facultas in statu libertatis naturali ratione & in ciuita-

(69) HERTIVS *Lib. 1. Paroem. 3.*
(70) GELLIVS *Noct. Attic. Lib. V. Cap. 7.*

uitate legibus ciuilibus circumscribitur, ideoque non intelligitur libertas, nisi naturali rationi aut legibus ciuilibus conformis (71).

Obs. 43. ad §. LXXIX.

*Naturam)* Intelligitur primæuus naturæ status, quo omnes homines erant liberi. Igitur seruitus non est a natura, sed a facto humano. Non tamen contra ius naturæ, quia pacto domini & serui constituitur, hoc vero seruandum esse, ius naturæ præcipit.

Obs. 44. ad §. LXXXII.

*Manucapta*) Cum veteri iure non plus rerum mobilium mancipari posset, quam manu capi poterat (72); mancipium & mancipatio inde nomen acceperunt, quod dominium adquireretur earum rerum, quæ manu capiebantur (73).

Obs. 45. ad §. LXXXIV.

*Adscriptitiorum)* Hi quasi serui erant & eorum peculium ad dominum pertine-



(71) NOODT *Comment. ad Digesta Tit. de stat. Homin. p. 29.*

(72) VLPIANVS *Tit. 19. §. 6.*

(73) HEINECCIVS *ad* VINNIVM *Commentar. Instit. h. t. n. 3.*

bat eique capitis censum siue capitationem præstabant. Coloni contra tributarii non erant, reditus tamen certos pro solo terræ domino soluebant (74).

Obs. 46. ad §. LXXXV.

*Hereditate)* Quod dicitur ius mortuarii, das Hauptrecht oder Fall, Erbfall, Erbrecht, todte Hand. Non tamen vbique idem est. Sed pro diuersitate iurium & morum variat. Alicubi est pars bonorum triens vel semis. Alibi res quædam singularis exigitur, equus, bos, vacca, vestis, lectus, arca, immo & arma (75).

# Liber. I. Titulus IV.
## De
# Ingenuis.

Obs. 47. ad §. LXXXVIII. Schol.

*Explicandos)* Sic quando CONSTANTINVS

(74) VINNIVS *l. c. h. t. n. 1.*

(75) Unsere Rechtliche Anmerckungen *p. 344. seqq.* POTTGIESSER *de statu seruorum in Germania Lib. II. Cap. XI. §. 39.* HARPRECHT *de iure mortuario.*

NVS (76) negat, patri licuisse filio eripere libertatem, id accipiendum est de ingenuitate. Filius enim a patre venditus posteaque manumissus non erat libertinus, sed ingenuus.

Obs. 48. ad §. XC.

*Fauore*) Veteri enim iure editionis tempus spectabatur. Igitur si libera conceperat, deinde ancilla pepererat, partus quoque seruus erat (77).

Obs. 49. ad §. XCI.

*Seruitutem*) Aliud est seruum esse, aliud seruire. Qui enim a latronibus & in ciuilibus dissensionibus capiuntur, seruiunt quidem, sed serui non sunt (78). Igitur qui vere serui atque manumissi fuerunt, veluti maiores XX. annis se pretii participandi caussa venundari passi posteaque manumissi ingenuitatis iura non recipiunt (79).

Liber.

---

(76) *l. fin. C. de patr. potest.*
(77) VLPIANVS *Tit. 5. §. 10.*
(78) *l. 21. §. fin. D. de captiu. & postlim.*
(79) *l. 21. D. de stat. Homin.*

# Liber. I. Titulus V.
## De
# Libertinis.

### Obſ. 50. ad §. XCV.

*Luſtralis)* Ad arbitrium enim cenſorum quinto quoque anno ciues cenſebantur, id eſt in publicas tabulas referebantur, eorum nomina, filii, agri, pecunia, ſerui, quos poſſidebant, pro quibus tributum pendebant (80). Poſtquam autem cenſendo finis factus, luſtrum condebatur, id eſt ſacrificio populus luſtrabatur & quoniam id quinto quoque anno fiebat, luſtrum pro quinquennio dici cœpit (81).

### Obſ. 51. ad §. XCVI.

*Dextra)* Scilicet notauit APPIANVS (82), Labeonem ſeruum domi dextra adprehendiſſe & circumegiſſe. Sed hæc manumiſſio fuit priuata & adhibito circumactionis ſymbolo mortis cauſſa facta, quæ

(80) *l. 21. §. fin. D. de ann. legat. l. 32. D. de Vſufr.*

(81) SCHVLTING *Jurisprud. Antejuſt. p. II. n. 18.*

(82) *De bell. ciu. Lib. I.*

quæ tantum libertatem latinam tribuebat. Non potuit enim seruus vindicta manumitti absque magistratu.

Obs. 52. ad §. C.

*Formula)* Initio quidem ipse dominus verba hæc pronunciabat, sed postea eo tacente lictor. Immo licet omissa fuerint, tamen vt dicta accipiebantur (83).

Obs. 53. ad §. CIII.

*Mensæ)* Notum enim est, veteres cum cœnarent non sedisse, sed cubuisse in lectulis. Prope lectos mensarum erant subsellia, quibus serui sederent. Si igitur dominus iubebat, vt mensæ accumberet seruus, id erat signum datæ libertatis, modo eum huius caussa conuiuio adhiberi expresse contestetur (84).

Obs. 54. ad §. CVI.

*Impetratæ)* Manumissionis forma ciuem romanum facere poterat vel latinum. Sed dedititium faciebant propria crimina, quocunque tandem modo peruenisset ad libertatem. Talis nec commercium habebat, nec cum eo erat testamentifactio, nec vllam spem habebat adipiscendæ

(83) *l. 23. D. de manum. vind.*
(84) PAPIANVS *Respons. Cap. 43.*

dæ ciuitatis romanæ, cum contra latini eam variis modis adipisci possent (85).

Obs. 55 §. CIX.

*Commerciorum)* Et mancipationis cum ciuibus (86). Qua de caussa familiæ emtores, testes & libripendes esse poterant (87). Et licet testari non possent, nec ex testamento capere (88), tamen fideicommissum capere poterant (89).

Obs. 56. ad §. CX.

*Dedit)* Primo soli senatores, deinde equites annulos aureos gestarunt. Postea ita vulgari cœpit hic honor, vt omnes ingenui eos gestarent, donec tandem cum libertinis eundem communicaret Justinianus (90).

Obs. 57. ad §. CXI.

*Agnatus)* Ipse enim Iustinianus in constitu-

(85) VLPIANVS *Tit. 3. §. 3.* GAJVS *Lib. I. Tit. I. §. 4.*
(86) VLPIANVS *Tit. 19. §. 4.*
(87) IDEM *Tit. 20. §. 8.*
(88) IDEM *Tit. 17. §. 1.*
(89) IDEM *Tit. 25. §. 6.*
(90) PANCIROLLVS *Thesaur. Var. Lect. Lib. I. Cap. 15.* BVRMANN *Diss. de iure aureorum annulorum.*

stitutione græca (91): *Quum veluti*, ait, *agnati libertorum patroni censeantur, hinc & vocantur ad legitimam successionem. Quemadmodum ingenuorum agnati gradu propiores vocantur, ita & libertinorum.*

Obs. 58. ad §. CXII.

*Maior)* In lege Papia centenarii sunt, qui sestertium centum millium patrimonium habent, id est aureorum mille. Sed Iustinianus in allegata Constitutione græca pro mille sestertiis vnum aureum computari iussit, vt esset centenario minor, qui nequidem centum aureorum patrimonium reliquisset (92).

## Liber. I. Titulus VI.

# Qui & ex quibus caussis manumittere non possunt.

Obs. 59. ad §. CXVI. Schol.

*Improprie)* Scilicet actus manumissionis non ab initio ipso iure nullus est, sed suspen-

(91) Apud CVJACIVM *Observat. Lib. 20. Cap. 34.*

(92) HEINECCIVS *Comment. ad Leg. Pap. Pop. Lib. 2. Cap. 22. §. 3.*

ſuspenditur, donec conſtet, fraudati ſint creditores, nec ne, & ſi fraudati ſint, vtrum iure ſuo vti velint. Quodſi enim iure ſuo non vtantur, actus eſt validus & manumiſſi retro liberi facti intelliguntur. Sed ſi eo vtuntur, cum fraudati ſint, perinde habetur, ac ſi nulla manumiſſio interueniſſet (93).

Obſ. 60. ad §. CXVIII.

*Sufficit)* Quia vbi res adhuc eſt integra & ab alio ſeruus manumittendus, facilius viſum eſt, impediri libertatem.

Obſ. 61. ad §. CXX.

*Adpareret)* Reſcripſit enim D. Pius cauſſæ probationis contradicendum eſſe, non vero cauſſam iam probatam retractandam eſſe (94). Id quod fauore libertatis accipiendum eſt.

Obſ. 62. ad §. CXXII.

*Viuos)* Sed Imperator (95) aperte loquitur de manumiſſione teſtamentaria, ſancitque, vt maior 17. annis teſtamento ſeruum libere poſſet manumittere. Et hoc iterum in NOV *119.* abrogauit voluitque, vt ea

(93) VINNIVS *Comment. ad Inſtit. h. t. n. 1.*

(94) *l. 9. §. 1. D. de manum. vind.*

ea ætate, qua teſtamentum facere poſſunt, etiam ſeruos manumittere poſſint. Quod enim inter viuos ſine iuſta cauſſa & a conſilio probata minoribus 20 annis permittenda ſit manumiſſio, nuspiam ſanxit, & ſic hac parte capiti ſecundo Legis Aeliæ ſententiæ non derogauit (96).

# Liber I. Titulus VII.

## De

# Lege Fuſia Caninia tollenda.

### Obſ. 63. ad §. CXXV.

*Eſſent*) Quis enim prior, quis poſterior ſit, non apparet, quia circulus nec finem, nec initium vllis ſuis partibus ſentit. Recte vero auctor id tunc demum procedere dicit, ſi plures, quam lex permittit, ſcripti ſint. Quod ſi enim numerum præſcriptum non exceſſerit manumiſſor, omnes liberi ſunt, cum omnes certi ſint & nominati, quod lex tantum in hoc caſu requirit (97).



(95) §. *fin. Inſt. h. t.*
(96) BRANCHV *Obſeruat. iur. Cap. 8.*
(97) SCHVLTING *Iurispr. Antejuſt. p. 27. n. 13.*

# Liber I. Titulus VIII.
## De
# His qui sui vel alieni juris sunt.

Obs. 64. ad §. CXXXI. Schol.

*Passis)* Si igitur fugerint ad ædem aut statuam principi sacram, vbi ius asyli fuisse constat, Diuus Pius rescripsit, dominum cogendum esse, vt seruum bonis conditionibus vendat & pretium habeat. Bonæ autem conditiones secundum Theophilum sunt non graues, & contra graues, si paciscatur, vt seruus compeditus seruiat, ne manumittatur, situe in regione grauis & immitis cœli.

# Liber I. Titulus IX.
## De
# Patria Potestate.

Obs. 65. ad §. CXXXIV. Schol.

*Ostendit)* Scilicet Græcorum institutis patribus tantum permissum fuit, vt liberos modice castigarent, & si hac via nihil proficerent, eos abdicarent, id est nudos re omni domo expellerent (98). Quæ Græ-

(98) SCHVBARTVS *de fatis Iurisprudentiæ*

Græcorum abdicatio etiam apud Romanos sensim inoleuit (99). Deinde alii Græcorum patriam potestatem annis terminarunt, alii matrimonio, alii publica in viros adscriptione. Sed hæc omnia apud Romanos secus erant. Vnde etiam patria potestas VALERIO MAXIMO (100) audit patria maiestas. Voluit autem Romulus tantæ potestatis priuilegio inuitare patres ad liberos tollendos (101).

## Obs. 66. ad §. CXXXVIII.

*Instituto)* Sunt qui id non de veris, sed imaginariis venditionibus accipiunt. Quod non est verosimile. Nam DYONISIO hac parte fides haberi debet, quippe



---

*tiæ Romanæ Exerc. 1. §. 22. & 23.* CARMON *Diss. de abdicatione liberorum.* PRONICK *de abdicatione liberorum.* BREVNING *Diss. de Abdicatione.*

(99) *l. 6 C. de patr. potest.*

(100) *Lib. VII. Cap. 7. §. 5.*

(101) HEINECCIVS *Comment. ad Leg. Pap. Pop. Lib. I. Cap. 2. §. 7. Add.* BRANDMYLLERI *Diss. de patriæ potestatis origine, progressu & meta.* VAN SWIETEN *Diss. de patria potestate.* GEBAVER *Diss. de patria potestate.* KRAVSE *Progr. de iis, quæ patri vi patriæ potestatis competunt.*

qui Augusti temporibus vltra XX annos linguæ & antiquitatibus Romanis pernoscendis in ipsa vrbe impendisse se testatur (102). Accedit si hoc verum non esset, ineptam fuisse Numæ Pompilii legem, ne patri ius esset, filium, qui eius permissu vxorem duxisset, venundandi. Sic enim non potuisset viuo patre sui iuris fieri, quod tamen in aliis licuisset. (103).

## Obs. 67. §. CXXXIX. Schol.

*Referendæ)* In cit. l. 13. dicitur, posse filiumfamilias patrem cogere, vt hereditatem, quam suspectam dicit, adeat & restituat. Ratio additur in cit. l. 14. Nam quod ad ius publicum attinet non sequitur, vel secundum BYNCKERSHOECKIVM sequimur ius potestatis, scilicet patriæ.

## Obs. 68. §. CXLI.

*Rubentes)* Id est recens natos, quos IVVENALIS (104) a matre adhuc rubentes vocat. Putauit quidem HALOANDER, sanguinolentus pro sanguinolentos legendum idque referendum esse ad patrem, qui ob venditionem sanguinolentus diceretur,

(102) *Lib. I. Cap. 7.*
(103) SCHVLTING *Jurispr. Antejust. p. 592. n. 5.*
(104) *Sat. 7. v. 169.*

retur, hoc est atrox & crudelis. Sed hac emendatione opus non esse, iam ante HVBERVM (105) euicit GOTHOFREDVS (106).

## Obs. 69. ad §. CXLIII.

*Obtinent)* Nunquam gentes originis germanicæ patriam potestatem Romanorum receperunt. Deducitur enim apud eos potestas ex officio educationis & sic vtrique parenti competit. Quod si vero effectus quidam huius potestatis ex domestica status ratione introducti quandoque cum moribus Romanorum conueniant, ex legibus tamen Romanis propterea non sunt deriuandi (107).



(105) *Digress. Lib. II. Cap. 5.*

(106) Add. *l. vn. C. Theodos. de his qui sanguinol. empt. vel nutriend. accep.* SCHROETER *Diss. de liberis sanguinolentis.* BYNCKERSHOECKIVS *de iure occidend. liberos p. 205.* NOODT *Jul. Paul. Cap. 5.* DATTIVS *de venditione liberorum.*

(107) THOMASIVS *Diss. de Vs. Pract. Tit. Inst. de patr. potest. Cap. 2. §. 1. seq.* Conf. HOMMEL *Diss. de vsu hodierno patriæ potestatis Romanæ in foris Germaniæ speciatim Hamburgensi.* POLYCARPI

LEY-

# Liber. I. Titulus X.
## De
# Nuptiis.

### Obſ. 70. ad § CXLVI. Schol.

*Sacrorum*) Scilicet in ædibus erant penates cuiuis familiæ proprii, quibus ſimulacra dedicata erant caninis pellibus induta, & aræ poſitæ ac foci. Cum itaque horum ſacrorum communio tranſiret ad vxorem, neceſſaria fuit ſolemnis illa in domum deductio (108).

### Obſ. 71. ad §. CXLVI. Schol.

*Confarreationibus*) Olim nuptiæ fiebant 1) confarreatione in præſentia decem teſtium, auctoritate Pontificum, adhibito ſacrificio & pane farreo; 2) coemtione adhibitis tribus nummis certisque ſolennibus verbis (109); (3) vſu, quando

---

LEYSERI *Obſeruata diplomatico hiſtorica de patria poteſtate in Germania ignorata.* POLAC *Progr. de iure patriæ poteſtatis, quo vtimur, cum principiis legum Germanicarum male cohærente.*

(108) HEINECCIVS *Syntt. Ant. Roman. h. t. §. 4.*

(109) GYNDLING *Diſſ. de emtione vxorum.*

do vxor cum marito annum vnum consueuerat, & per trinoctium non abfuerat, sic enim ab hoc quasi vsucapta erat. Sed omnes hi ritus progressu temporis in desuetudinem abierunt & dum consensus faciebat nuptias iusti connubii signum erant pacta dotalia.

Obs. 72. ad §. CXLVIII.

*Ratum)* Vocant scilicet matrimonium legitimum, quod iuxta leges ciuiles contractum est, & sic inter infideles etiam obtinet. Ratum contra, quod ab ecclesia ratum habitum est accepitque coniugii sacramentum, quod tantum fidelibus tribuunt. Illud igitur est negotium mere seculare, hoc vero spirituale (110).

Obs. 73. ad §. CXLVIII.

*Relinquunt)* Licet enim STRICKIVS (111) tantum hoc casu liberos a successione statutaria excludi existimet; tamen recte obseruat BOEHMERVS (112), non amplius matrimonium ex ciuili, sed primario ex iure patrio & legibus prouincialibus



(110) BOEHMERVS *Jur. Eccles. Protest. Lib. IV. Tit. III. §. 6.*

(111) Ad BRVNNEMANNVM *Jur. Eccles. Lib. 2. Cap. 16. §. 6.*

(112) *Jur. Eccles. Protest. l. c. §. 49.*

bus æstimandum esse, quæ, cum pro forma benedictionem sacerdotalem requirant (113), faciunt, vt matrimonium non rite initum, nullos plane effectus habeat.

Obs. 74. ad §. CL. Schol.

*Demonstrauit)* Ratihabitio enim semper ad principium cuiusque actus retrotrahitur (114). Nec obstat ratio VINNII (115), quod ratihabitio locum haud habeat in iis, quæ ipso iure nulla sunt. Nam donatio inter virum & vxorem est ipso iure nulla (116), & tamen ratihabitione conualescit (117).

Obs. 75. ad §. CL.

*Rescindant)* Jure Romano patris consensus est necessitatis (118), eoque deficiente iniustæ nuptiæ, iniusti liberi, iniusta

(113) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 512.*
(114) *l. 16. §. 1. D. de Pignor.*
(115) *Comment. ad Inst. h. t. pr. n. 6.*
(116) *l. 3. §. 9. D. de donat. inter vir. & vxor.*
(117) *l. 25. C. eod.* HEINECCIVS *ad* VINNIVM *l. c. h. t. pr. n. 6.*
(118) *l. 2. 18. 35. D. de rit. nuptiar.*

iusta vxor (119). Emancipatus contra eius iniussu recte contrahit nuptias (120). Jure Canonico & moribus consensus vtriusque parentis magis est honestatis quam necessitatis, quia deducitur ex reuerentia & obedientia iis debita. Sed in terris Prussicis, Brunsuicensibus aliisque hoc deficiente matrimonium est ipso iure nullum (121).

## Obs. 76. ad §. CLIII.

*Obliqua)* Linea obliqua seu collateralis est vel æqualis vel inæqualis. Aequalis quando in vno latere tot sunt personæ, quot in altero. Inæqualis quando in vno latere plures sunt, quam in altero.



(119) *l. 11. D. de stat. Homin.*

(120) *l. 25. D. de rit. nuptiar.*

(121) BOEHMERVS *Jur. Eccles. Protestant. Lib. IV. Tit. 2. §. 10. seq.* THOMASIVS *Diss. de validitate coniugii inuitis parentibus contracti §. 19. 20.* DE LVDEWIG *Diss. de differentiis iuris Romani & Germanici in connubiali Imperio consensuque parentum.* Renovirte Constitution von Verlöbnissen und Ehe-Sachen vom 15. Dec. 1694. §. 2. *seqq. apud* PERILLVSTREM MYLIVM *Corp. Const. Marchic. Part. I. sect. 2. N. 58. p. 118.*

Obſ. 77. ad §. CLV.

*Diſtinguit)* Differt itaque computatio ciuilis a computatione canonica. Computatio enim ciuilis eſt, quando numero perſonas, demto ſtipite communi, vel quando numero diſtantias. Computatio autem canonica eſt, quando numero ſaltem vnum latus & ſi illud ſit inæquale longius. Quia toto gradu diſtant perſonæ, quoto alterutra vel remotior a ſtipite diſtat (122). Inuenit hanc computationem Alexander II. (123) ſimulans, eam iam inueteratam eſſe (124). Sicuti itaque nuptiæ duas perſonas requirunt, quæ dicuntur vna caro, ita duæ generationes quoque coniunctim gradum conſtituunt. Quæ ratio cum ſit abſurda, etiam abſurdam peperit concluſionem, gradus niti generatione, & tamen ſecundum eam non computari, ſed duas diuerſas generationes pro vna habendas eſſe, ſicque proaui mei fratrem huiusque filium, nepotem & pronepotem omnes in eodem gra-

(122) ARITHMAEVS *de graduum computandorum ratione iure Ciuili & Pontificio recepta.*

(123) *In can. 2. Cauſſ. 35. Qu. 5.*

(124) SCHILTER *de Libertat. Eccleſ. Germau. Lib. 3. Cap. 10. §. 9. ſeq.*

gradu constitui. Adhæc in hac computatione non quæritur de distantia a communi stipite, sed de distantia personarum a se inuicem, a quibus igitur inchoanda in iisque finienda est (125). Quod agnoscit hodie curia Romana & requirit, vt exprimatur, quoto gradu vterque distet a stipite, veluti in gradu tertio & quarto (126).

## Obs. 78. ad §. CLIX.

*Imperante)* In plerisque prouinciis apud Euangelicos prohibitio ad gradum tertium lineæ inæqualis extenditur. Sed in terris Prussicis sancitum est, vt in casibus iure diuino expresse non prohibitis libera sint matrimonia & sine omni indulgentia contrahantur (127).

Obs.

---

(125) STRYCK *Vs.* Mod. *Pandect. Tit. de rit. nupt. §. 15.*

(126) BOEHMERVS *Jur. Eccles. Protest. Lib. IV. Tit. XIII. §. 14. seq.*

(127) EDICTVM REGIVM *d. d. 3. Jul. 1748.* in dem Hällischen Anzeigen *d. a. 1748. p. 477.* Add. ILLVSTRIS AYRER in *Commentatione de iure dispensandi circa connubia iure diuino diserte non prohibita.*

Obſ. 79. ad §. CLX.

*Adfinitate*) Scilicet ex carnis vnitate oritur adfinitas. Quæ inde eſt: coniunctio vnius coniugis cum alterius coniugis conſanguineis (128). Ex legitimo coitu legitima, ex illegitimo vero illegitima nascitur, quæ ſaltem quoad prohibitionem matrimonii, non autem quoad alia iura adfinibus inter ſe tributa attenditur (129).

Obſ. 80. ad §. CLX.

*Genera)* Secundum & tertium tamen iure Canonico non impedit nuptias (130). Solent tamen in Saxonia & alibi prohiberi, ſi in ſecundo genere quidam reſpectus parentelæ adſit. Sic vitricus ducere nequit priuigni viduam (131).

Obſ. 81. ad §. CLXI. Schol.

*Tridentini)* Patres Concilii Tridentini edixe-

---

(128) *l. 4. §. 3. D. de Grad. conſanguin. & adfinit.*

(129) BOEHMERVS *l. c. §. 29. ſeq.*

(130) *cap. 8. X. de conſangu. & adfin.*

(131) *l. 15. D. de rit. nupt.* BEIER *Diſſ. de dispenſat. circa matrimon. intra gradus conſangu. & adfinitat. prohibitos §. 14. ſeq.* BOEHMERVS *Jur. Eccleſ. Proteſt. l. c. §. 33. ſeq.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850930708/phys_0056
DFG

edixerunt (132), cognationem ſpiritualem tantum contrahi inter ſuſceptores & baptizatum ipſum & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem (133).

Obſ. 82. ad §. CLXI.

*Contracta)* Nam cum adoptio imitetur naturam, etiam ciuilis cognatio impedit nuptias. Tametſi vero omnia adoptionis iura per emancipationem ſoluantur (134): tamen cum in nuptiis etiam pudoris & reuerentiæ ratio habeatur (135), conſequens eſt, patris perſonam tam ſanctam & reuerendam filiæ eſſe debere, vt ad impediendas nuptias ſufficiat, aliquando patrem fuiſſe (136).

Obſ. 83. ad §. CLXI.

*Nata)* Quæ quaſi adfinitas impedit nuptias (137). Igitur opus eſt principis indul-

(132) *Seſſ. 24. de reformat. matrim. Cap. 2.*
(133) BOEHMERVS *Jur. Eccleſ. Proteſt. Lib. IV. Tit. XI. §. 10.* LVDOVICI *Diſſ. de effectu baptismi iuridico §. 18. ſeq.*
(134) *l. 13. D. de Adoption.*
(135) *l. 14. §. 2. D. h. t.*
(136) VINNIVS *Comment. ad Inſt. h. t. §. 2. n. 3.*
(137) *l. 12. §. 1. D. de rit. nupt.*

indulgentia, modo si suspecte vixerint desponsati, superstes se iureiurando purget, quod copula carnalis haud accesserit.

Obs. 84. ad §. CLXIII.

*Judæa)* Hæ nuptiæ sub pœna capitis prohibentur (138). A quo tamen rigore iuris ciuilis vsus fori recedit & mitior pœna iudicis arbitrio irrogatur (139). Immo si semel contractæ sint nuptiæ, eas dissoluendas non esse, statuunt interpretes (140).

Obs. 85. ad §. CLXIII.

*Redditis)* Quod si tamen hodie contractum fuerit, subsistit & pœnæ ciuiles exulant, partim quia magnus est fauor matrimonii, partim quia iure Canonico tale matrimonium permitti existimant (141). Nisi lege vel statuto ius ciuile receptum

(138) *in l. 6. C. de Judæis.*

(139) CARPZOVIVS *Pract. rer. crim. Qu. 76. n. 66. seq.*

(140) ZIEGLER *ad* LANCELLOTTI *Institut. Jur. Canon. Lib. 2. Tit. 12. §. 5. n. 389.*

(141) STRYCK *Vs. Mod. Pandect. Tit. de nupt. §. 10.* GNÜGE *Progr. de matrimonio*

ceptum sit, veluti in Ducatu Magdeburgico (142).

## De

# Legitimatione.

### Obs. 86. ad §. CLXVI.

*Egit)* Scilicet opus esse putat, vt fingatur matrimonium inter legitimati parentes fuisse, & cum fictio talis possibilitatem supponat, in adulterio vero & incestu possibile non sit, matrimonium intercedere, consequens esset, vt incestuosi & adulterini legitimari nequeant. Sed de hac fictione silent leges, nec ea opus esse videtur, cum matrimonio subsequenti is effectus tribuatur, vt liberis antea natis prosit (143).

Obs.

---

*nio tutoris vel curatoris cum pupilla vel adulta contracto.*

(142) ORD. POLITIC. MAGDEB. *Cap. 37. §. 4.*

(143) BOEHMERVS *Iur. Eccles. Protest. Lib. IV. Tit. 17. §. 14.*

Obs. 87. ad §. CLXIX.

*Nuptias)* Cum hunc modum ad subuertendum concubinatum excogitaret Imperator, sanxit, vt non nisi iis liberis, qui antehac editi essent, legitimatio prodesset. Hoc ipso enim inuitare voluit parentes, vt iustas nuptias concubinatui anteferrent. Sed Iustinianus vel huius scopi ignarus, vel concubinatui non admodum infensus constituit, vt subsequens matrimonium esset perpetuus & ordinarius legitimandi modus (144).

Obs. 88. ad §. CLXXIII.

*Eluatur)* Ex constitutione enim Iustiniani patris primario non liberorum vel matris beneficium erat, liberos habere legitimos (145). Deinde ex damnato coitu nati ita legitimari haud poterant, nec naturales extantibus legitimis. Quæ omnia moribus hodiernis secus (146).

Obs.

(144) HEINECCIVS *Comment. ad Leg. Pap. Pop. Lib. II. Cap. 4. §. 5.* ZIEGLER *Diss. de natalium restitutione seu legitimatione liberorum illegitimorum.* HARTLEBEN *Diss. de legitimatione liberorum illegitimorum.* LAVTERBACH *Diss. de legitimatione per subsequens matrimonium.*

(145) Conf. HILLER *Diss. qua legitimatio per*

## Obſ. 89. ad §. CLXXIII.

*Solet)* Immo & hi per ſubſequens matrimonium legitimantur. Hodie enim extra matrimonium omnis coniunctio eſt illegitima & prohibita, igitur conſequens eſſet, vt legitimatio per ſubſequens matrimonium plane exularet. Sed iure Canonico tanta eſt vis matrimonii, vt qui antea ſunt geniti, per illud legitimentur (147). Moribus Germanorum inualuit, vt liberi in actu hierologiæ pallio patris vel matris abſcondantur, qui inde dicti Mantel-Kinder (148). Tametſi etiam apud quasdam gentes vſu fuerit receptum, vt pallio altaris vel alio ab eccleſia conſti-



---

*per reſcriptum principis Iuſtiniano Imperatori tanquam auctori & inuentori vindicatur.* GRIEBNER *Diſſ. de iure legitimandi principum Imperii.* IDEM *Diſſ. de iure legitimandi Comitum Palatinorum in terris Principum Imperii.*

(146) THOMASIVS *Diſſ. de Vſ. Pract. Tit. Inſt. de Legitimatione*

(147) *Cap. 1. & 6. X. Qui filii ſint legitimi.* BOEHMERVS *Diſſ. de legitimatione ex damnato coitu natorum §. 15. ſeq.*

(148) BOEHMERVS *Iur. Eccleſ. Proteſt. Lib. IV. Tit. 17. §. 26.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850930708/phys_0061
DFG

tuto & in actu hierologiæ super parentibus extenso simul cooperirentur (149).

# Liber I. Titulus XI.

## De

# Adoptionibus.

### Obs. 90. ad §. CLXXIV. Schol.

*Testamentum)* Solemne enim erat Romanis, heredes suos non solum in bona, sed etiam in nomen adsciscere. Cum vero per hanc heredis institutionem nemo redigeretur in patriam potestatem, proprie adoptio dici haud poterat. Vnde ea quandoque repetita & vel lege curiata confirmata, vel per æs & libram denuo facta fuit (150).

Obs.

---

(149) GRVPEN von der teutschen Frau *Cap. 6. §. 8. seq.* SCHWARZIVS *Diss. de Ritu legitimandi liberos per pallium §. 14. seq. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctrin. Pandect. Obs. 31.* Unsere rechtliche Abhandlungen und Gutachten *Num. 1. p. 1. seqq.*

(150) HEINECCIVS *Syntagm. Antiq. Romanar.*

Obſ. 91. ad §. CLXXVI.

*Spadones)* Caſtrati ſiue inteſtes ſunt, quibus exſecta virilia. Spadones contra in adoptionis materia dicuntur, qui propter vitium, quod tamen ſanari poteſt, liberis operam in præſenti dare nequeunt (151). Hi igitur ſicuti vxorem ducere, ita etiam adoptare poſſunt (152).

Obſ. 92. ad §. CLXXVI.

*Principis)* Diocletianus Syræ cuidam per modum priuilegii conceſſit, vt adoptaret priuignum in ſolatium liberorum amiſſorum (153). Quod firmauit latiusque extendit Iuſtinianus (154). Interim hæc adoptio eſt minus plena, quia femina ius poteſtatis in liberos habere nequit.

Obſ. 93. ad §. CLXXIX. Schol.

*Galbæ)* Hic enim primus Piſonem arrogauit pro poteſtate quæ ipſi in republica



*manar. h. t. §. 18.* Vid. THOMASIVS *Diſſ. de vſ. Pract. Tit. Inſt. de Adoptionibus.*

(151) *l. 128. D. de verb. ſignificat.*

(152) *l. 40. §. 7. D. h. t. Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 36.* SLEVOGT *Diſſ. de Spadonibus.*

(153) *l. 5. C. h. t.*

(154) *§. 10. Inſt. h. t.*

competebat ampliſſima. Antoninus vero Pius conſtituiſſe videtur, vt arrogatio fieret ex reſcripto principis, ſub quo etiam Caius floruit. Ex quo ſequitur, feminam quoque potuiſſe arrogari, ceſſante ratione prohibitionis, ſcilicet quod interdicta eſſet feminis comitiorum communio.

Obſ. 94. ad §. CLXXXI.

*Cognita)* Cognitio circa duo vertitur, 1) an honeſta ſit arrogatio? 2) an expediat pupillo? Ad honeſtatem pertinet ſancta adfectio (156), ne ob turpem amorem fiat. Et cum arrogator confeſtim dominus omnium rerum pupilli fieret, videndum eſt, ne non potius hoc lucrum ſibi, quam pupilli commodum adfectauerit (157).

Obſ. 95. ad §. CLXXXII. Schol.

*Poſſunt)* Cum ius nobilitandi in Germania ordinarie ad reſeruata Cæſaris pertinuerit, qui illud reſtringit ad natos ex iuſto matrimonio: So haben wir gedachten Titium

(155) WATER *Obſeruat. Iur. Lib. III. Cap. 16.*

(156) *l. 17. §. 1. D. h. t.*

(157) HVBERVS *Prælect. ad Inſt. h. t. §. 5.*

rium samt seinen ehelichen Leibes-Erben in den Stand des Adels erhebet (158).

Obs. 96. ad §. CLXXXII.

*Amittant)* Dignitatem enim & ordinem apud Romanos non minuebat adoptio, sed ius originis & gentis (159).

Obs. 97. ad §. CLXXXVIII.

*Succedant)* Non itaque vicissim parentes liberis, nec liberi vniti sibi inuicem, neque aliis collateralibus succedunt, nisi statuta aliud disponant (160). De cetero hoc pactum vnionis prolium die Einkindschaft bona liberorum iam propria non adficit (161).



(158) Plura dixi in *Diss. de Nobilitate adoptiua. Diff. 1. Cap. 2. §. 5. Edit. Nou. d. a. 1745. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 39.*

(159) *cit. Diss. nostr. Diff. 2. Cap. 1. §. 2.*

(160) STRYCK *de succ. ab intest. Diss. 8. Cap. 6. §. 19.*

(161) RICKIVS AB ARWEILER *de vnione prolium.* STRVVIVS *Diss. de vnione prolium.*

# Liber I. Titulus XII.

# Quibus modis ius patriæ potestatis soluitur.

Obs. 98. ad §. CXCI.

*Superstites)* Sufficit tamen liberos primi gradus semel exisse e patris potestate. Licet enim pater filium emancipatum readoptauerit, tamen nepos post mortem aui non recidit in potestatem patris sui, sed omnimodo sui iuris efficitur (162).

Obs. 99. ad §. CXCI.

*Pœnæ)* Omnes vltimo supplicio damnati fiebant serui pœnæ. Cum enim Ciuis Romanus per legem Porciam extremo supplicio adfici non posset, fingebant, eum qui delictum commiserat, quod morte expiandum, non esse ciuem, sed seruum pœnæ (163).

Obs. 100. ad §. CXCV.

*Præsumebatur)* Scilicet sanxit Iustinianus, vt pactum fiduciæ semper interpositum esse fingeretur, tametsi expresse interposi-

(162) *l. 41. D. de Adopt.*
(163) NOODT *Probabil. Lib. 3. Cap. 12.*

positum non sit. Sed postquam ipse Imperator (164) imaginarias illas emancipationis solennitates sustulit, id amplius fingi nequit, quod sublatum est.

## Obs. 101. ad §. CXCIX.

*Concinne)* Omnis emancipatio iure Romano expressam declarationem requirit, indeque tacita emancipatio reuera contradictionem inuoluit (165). Rectius dicitur quasi emancipatio, non quod talis sit, id enim particula quasi destruit, sed quod liberi per hunc modum sui iuris fiant, sicuti apud Romanos per emancipationem (166).



(164) *l. vlt. C. de emancip. liber.*

(165) THOMASIVS *de quasi emancipatione Germanorum §. 41.*

(166) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 43.* BOEHMERVS *Diss. de statu liberorum sui iuris factorum per separationem & nuptias Cap. 2. §. 2. seq.* Add. THOMASIVS *Diss. de vs. pract. Tit. Inst. Quibus modis ius patriæ potestatis soluitur.* TRIER *Diss. de dignitatibus, quæ liberant a patria potestate.*

# Liber I. Titulus XIII.
## De
# Tutelis.

### Obſ. 102. ad §. CCII.

*Tutela )* Initio illuſtrioribus feminis nonnullis conceſſum fuit, vt ſine auctoritate tutorum res ſuas agerent. Deinde lege Papia Popæa ſanxit Auguſtus, vt ingenuæ ſi tres, libertæ ſi quatuor enixæ eſſent liberos liberarentur a tutela. Quod ius liberorum ſæpe beneficio principis impetrarunt, licet nunquam peperiſſent. Manſit hæc feminarum tutela vsque ad tempora Leonis III. (167). Poſt eum enim ab vſu plane receſſit, ita vt Juſtiniani tempore nec vola, nec veſtigium ſupereſſet (168).

### Obſ. 103. ad §. CCIII. Schol.

*Poteſt )* MARCILIVS (169) vim in perſonam, poteſtatem in bona pupilli eſſe voluit. E contra OTTO (170) vim ad nego-

(167) *l. 3. C. de legit. tutel.*
(168) HEINECCIVS *Comment. ad Leg. Pap. Pop. Lib. 2. Cap. 11. §. 3. ſeq.* OTTO *de perpetua feminarum tutela.*
(169) *Ad Leg. XII. Tabul. Cap. 28.*
(170) *Comment. ad Inſt. p. 103.*

negotia, potestatem ad personam retulit. Sed verius est, vim & potestatem pro iisdem accipi. Vnde passim apud Scriptores Latinos & ICtos coniungi solent, vt plenior sit & efficacior oratio (171).

Obs. 104. ad §. CCVI.

*Minorennitatem*) Quod tamen ita accipiendum est, vt minor ante pupilli pubertatem annum 25. implere possit. Alioquin datio lusoria atque protinus a magistratu tutor dandus esset.

Obs. 105. ad §. CCVII.

*Secundario*) Cum enim personæ pupilli tutor detur, per consequentiam etiam rebus eius dari intelligitur, quæ personæ conditionem sequuntur. Si vero tanto locorum interuallo disiunctum sit pupilli patrimonium, vt difficulter ab vno administrari possit, plures quidem dari possunt, sed omnes in solidum dati intelliguntur, nec tam tutela, quam administratio diuiditur (172).



(171) *Progr. nostr. de tutela pactitia Romanis incognita §. 1.*

(172) VINNIVS *Comment. ad Inst. h. t. §. 4.*

# Liber I. Titulus XIV.

# Qui testamento tutores dari possunt.

## Obs. 106. ad §. CCXII.

*Prospicitur)* Sed cum ex sententia VLPIANI (173) filiorum appellatione filiæ contineantur, multo magis nepotes continebuntur (174). Semper enim respiciendum est ad præsumtam testatoris voluntatem, qui si filiis tutorem dederit, etiam procul dubio eundem dare voluit nepotibus in patris sui potestatem non recasuris. Quid enim si alios, quam nepotes in potestate non habeat? Tunc sane, si interpretatio extensiua non admitteretur, inutiliter testatus fuisset.

## Obs. 107. ad §. CCXIII.

*Incerta)* Pupilli enim interest, ne incerti & ignoti, de quorum diligentia, fide & moribus testatori constare haud potuit, admittantur. Imprimis cum tutores testamentarii a satisdatione immunes sint.

Obs.

---

(173) *in l. 16. pr. D. h. t.*

(174) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 545.*

Obs. 108. ad §. CCXVI.

*Euoluendus)* Scilicet videtur pugna esse inter *l. 4. D. de testam. tutel.* & *l. 4. C. eod.* quæ tamen non est. Nam lex *4. D.* de iure, *l. 4. C.* vero de more loquitur, id est, quia mater liberis etiam non institutis præsumitur recte prospexisse, confirmari solet, quem dedit, tutor.

# Liber I. Titulus XV.
## De
# Legitima agnatorum tutela.

Obs. 109. ad §. CCXX. Schol.

*Familiæ)* Cum vero familiæ iterum in nouas abirent stirpes, factum est, vt & hæ agnominibus secernerentur. Vtebantur igitur Romani pluribus nominibus, quorum primum personæ proprium prænomen, secundum vniuersæ genti commune, nomen, tertium familiæ commune, cognomen, & quartum quod stirpem eius familiæ notabat, agnomen dicebatur, veluti: A. Virginius Tricostus Calimontanus (175). Obs.

(175) HEINECCIVS *Syntag. Antiquit. Roman.*

Obſ. 110. ad §. CCXXI.

*Prætor)* Poſt agnatos vocabat lex XII. tabularum gentiles excluſis cognatis, niſi eſſent inter gentiles, ne ſcilicet bona in aliam gentem transferrentur (176). Sed poſtquam Prætor ad bonorum poſſeſſionem admiſit cognatos, gentilium ſucceſſio exoleuit (177).

Obſ. 111. ad §. CCXXII.

*Idoneo)* Quippe qui commodiorem locum in fine libri primi inter modos finiendi tutelam inueniſſet.

# Liber I. Titulus XVI.

## De

# Capitis Deminutione.

Obſ. 112. ad §. CCXXIII. Schol.

*Cenſi)* Seruius Tullius cum vniuerſum populum in ſex claſſes deſcriberet, in ſex-

---

*Roman. Lib. 3. Tit. 2. §. 2. ſeq.* SELLIVS *Progr. de nominibus Romanorum brutiſonis.*

(176) BYNKERSHOEEK *Obſeruat. Lib. 2. Cap. 1.*

(177) SCHVLTING *Jurispr. Antejuſt. p. 666. n. 14.*

sextam classem coniecit egenos & tenues, qui vel capite censi vel proletarii dicti sunt. Illi erant qui præter caput & nomen nihil admodum in censu profitebantur. Hi qui cum re familiari parua minus iuuare possent rempublicam, sobolis tamen gignendæ caussa eam frequentabant (178).

Obs. 113. ad §. CCXXIV. Schol.

*Statu*) Scilicet naturali. Nam etiam seruus est persona, quatenus cum statu naturali consideratur (179). Igitur manumissus mutat statum seruilem, sed capite non minuitur, quia caput pro statu ciuili accipitur.

Obs. 114. ad §. CCXXIX.

*Obsoleuisse*) Partim quod pœnæ seruitus a Justiniano sit sublata, partim quod modus, si quis se venundari passus fuit, iam olim exoleuerit, partim quod Germani actionem de reuocandis libertis ob ingratitudinem nunquam receperint. Habent tamen Germani maximam capitis deminutionem Romanis incognitam, quando liber homo per conuentionem vel

(178) HEINECCIVS *Syntagm. Antiquit. Roman. h. t. §. 1.*

(179) *l. 22. pr D. de reg. iur.*

vel expressam, vel tacitam fit proprius (180).

Obs. 115. ad §. CCXXIX.

*Imperii)* Sed bannitorum ab Imperio longe deterior est conditio, quam deportatorum, quia etiam ea quæ sunt iuris gentium amittunt, dum impune lædi possunt, quæ tamen deportati retinebant. Reliqui, de quibus Auctor, omnia retinent. Immo si etiam iure ciuitatis priuentur, tamen gaudent iure peregrinorum, & omnibus iuribus fruuntur, quæ non dependent a iure ciuitatis dem Bürger-Rechte (181).

# Liber I. Titulus XVII.
## De
# Legitima Patronorum tutela.

Obs. 116. ad §. CCXXXII.

*Idoneis)* Igitur non nominatim tutela patronis data, sed per consequentiam heredi-

(180) CELEB. J. P. CARRACH *Diss. de addictione in seruitutem spontanea.*

(181) AVTH. *omnes peregini C. communia de succes.* SCHILTER *Diss. de iure peregrinorum §. 22.* THOMASIVS *Not. ad Institut. p. 86. seq.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850930708/phys_0074
DFG

reditatis (182), cum ex eadem cauſſa agnatis ſit delata (183), & naturæ ſit conueniens, vt incommoda eam ſequantur, quem ſequuntur commoda (184).

# Liber I. Titulus XVIII.

## De

# Legitima parentum tutela.

Obſ. 117. ad §. CCXXXVI.

R*epetendum)* Scilicet cum Germanis incognitum eſſet diſcrimen inter tutores & curatores conſequens erat, vt pater licet liberos haberet in poteſtate, tamen intuitu bonorum maternorum aliorumque aduenticiorum tutor eſſet eaque adminiſtraret in natürlicher Vormundſchaft. Quod iuri Romano plane aduerſum, ſecundum quod nemo tutorem habere poterat, niſi eſſet homo ſui iuris.

Liber

(182) *l. 3. pr. D. de legitim. tutor.*
(183) *l. 1. D. eod.*
(184) *l. 10. D. de reg. iur.*

## Liber I. Titulus XIX.

De

# Fiduciaria tutela.

Obſ. 118. ad §. CCXXXVIII.

*Hodie)* Immo iam tempore Juſtiniani. Poſtquam enim ſanxit, vt omnis differentia inter ſuos & emancipatos, agnatos & cognatos exularet (185): conſequens eſt, vt ii omnes de quibus hoc Titulo, tutores ſint directo legitimi.

## Liber I. Titulus XX.

De

# Atiliano tutore, & eo, qui ex lege Julia & Titia datur.

Obſ. 119. ad §. CCXLI.

*Sicilia)* Non ſtatim quæ Romæ ſtatuta erant, etiam in prouinciis locum habebant, ſæpe tamen eo producebantur. Hinc

(185) NOV. *118. Cap. 4. 5.*

Hinc auctor est DIODORVS SICVLVS (186) moribus iamdiu ante legem Juliam Titiam in Sicilia fuisse receptum, vt plures tutores dederint. Quod ius postea hac lege cum aliis prouinciis fuit communicatum.

Obs. 120. ad §. CCXLIII. Schol.

*Dabant)* Quod iis eadem oratione Diui Marci concessum fuit. Non tamen simpliciter, sed tunc demum, si a Præside iussi sunt, tutorem dare. Jubere autem tunc Præsidi permissum est, si ei non magnæ videantur pupilli facultates. Quo iussu secuto magistratus municipales propriam id est lege datam non alienam exercent iurisdictionem (187).

# Liber I. Titulus XXI.
## De
# Auctoritate tutorum.

Obs. 121. ad §. CCL. Schol.

*Peragatur)* Scilicet Julianus putat, tunc peragi libertatem, quando seruus cognouerit dominæ voluntatem. Sed Ne-



(186) *Excerpt. Peiresc. p. 397.*
(187) NOODT *de Jurisdictione Lib. 2. Cap. 8.*

ratius & Proculus sufficere existimant, quando scribitur epistola, adhiberi tutoris auctoritatem, secundum quos constitutum est.

Obs. 122. ad §. CCL.

*Præsente*) Non tamen sola præsentia & taciturnitas auctoritatem facit. Quid enim si inuitus detineatur in loco, in quo pupillus contractum celebrat? Aut somno morboue comitiali occuparus taceat (188)? Aut ignorauerit negotium, quod contrahebatur, cum non multum interfit, an abfuerit tutor, an præsens ignorauerit, quæ geruntur (189)?

Obs. 123. ad §. CCLII. Schol.

*Ex re*) Quoties scilicet obligatio non ex consensu reciproco nascitur, sed ex lege, veluti si habeat fundum communem cum aliquo & is aliquid in eum impenderit (190), vel aliquis eius negotia vtiliter gesserit (191). Obs.

---

(188) *l. 1. §. fin. D. h. t.*

(189) *l. 14. D. eod.* VOETIVS *Commentar. ad Pandect. h. t. §. 1. Obs. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 553.* FELZ *Diss. de auctoritate & consensu tutorum & curatorum.*

(190) *l. 46. D. de oblig. & action.*

(191) AVERRANI *Interpret. Jur. Lib. 2. Cap. 7.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850930708/phys_0078
DFG

Obſ. 124. ad §. CCLV. Schol.

*Poſſit)* Niſi ſit mater aut auia, quæ non impediuntur debito vel credito, quominus liberorum tutelam gerant (192). Quod etiam procul dubio de aliis dicendum erit, ſi omnis ceſſat fraudis ſuſpicio, de quo cognoscit magiſtratus.

Obſ. 125. ad §. CCLV.

*Prætorium)* Hæc enim erat exceptio à regula, quæ vetuit tutorem dari ad rem (193). Item alterius, tutorem habenti tutorem dari non poſſe (194). Ratio erat, quia iudicia erant ordinaria & ſolemnia, ad ea vero explicanda, quæ iuris ſolemnitatem deſiderabant, tutoris auctoritate opus erat (195). Sed hæc ceſſat, poſtquam iudicia extraordinaria facta & ſublatus eſt veterum formularum ritus. Indeque Juſtinianus ſufficere ſanxit, dari curatorem.



(192) AVTH. *Ad hæc C. quand. mul. off. tutel. fung. pot.* ETTHMÜLLERVS *Diſſ. de tutore creditore vel debitore minoris.*
(193) §. 4. *Inſt. Qui teſtam. tutor.*
(194) §. 5. *Inſt. de Curator.*
(195) *l.* 19. *D. h. t.*

# Liber I. Titulus XXII.

# Quibus modis tutela finitur.

## Obs. 126. ad §. CCLX.

*Habitu*) Quod quidam accipiendum esse putant de externa corporis specie. Sed cum ex Cassianorum sententia is demum pubes sit, qui generare potest, facultatem virilem vero ex vultu coniicere possit nemo: consequens est, vt, quando pubertas incerta, nutandæ sint illæ corporis partes, vnde constat de argumento viri (196).

## Obs. 127. ad §. CCLXIV.

*Plerumque*) Ratione Juris Germanici consultissima, quod ignorat ætatis tutorumque discrimen & verba Unmündig, Mündling, Minderjährig, Pflegekinder, Pflegebefohlene, item Vormünder, Pfleger, Vorsteher, Voigte pro iisdem habet. Sed in Saxonia, Ducatu Magdeburgico, terris Brunsuicensibus & alibi receptum est, vt tuto-

(196) BYNCKERSHOECK *Obseruat. Jur. Lib. 3. Cap. 24.* GVNDLING *in Gundlingianis Part. 24. Obs. 2.*

tutores adepta pubertate tutelam continuare non cogantur (197).

Obſ. 128. ad §. CCLXIV.

*Reddendas)* Quod ne quidem tutori a patre teſtamento plane remitti poteſt (198). Tametſi inuentarii ſolemnis confectionem prohiberi queat, ne ſecreta patrimonii pandantur & vel detegatur paupertas, vel diuitiæ exponantur inuidiæ (199). Priuata tamen & fidelis rerum pupillarium deſignatio requiritur (200).



(197) DE LVDEWIG *Diſſ. de differentiis Juris Romani & Germanici in Tutela Diff. 2.* BEIER *Diſſ. de hodierna tutorum & curatorum differentia §. 12.* DE GAERTNER *Diſſ. de iure Germanico inter impuberes & minores, tutores & curatores non diſtinguente.*

(198) *l. 5. §. 7. D. de adminiſtr. tutor.* VOETIVS *Comment. ad Pandect. eod. §. 4.*

(199) *l. fin. §. 1. D. de adminiſtr. tut.* HERON. *Diſſ. de tutore anecclitico.* LINCKIVS *Diſſ. de tutoribus aneclogiſtis.*

(200) HVBERVS *Prælectionib. ad Pandect. Tit. de adminiſt. tutor. §. 3.*

# Liber I. Titulus XXIII.

## De

# Curatoribus.

### Obſ. 129. ad §. CCLXIX.

*Exemplo*) Non tamen moribus, id eſt prudentum interpretatione inducta fuit hæc interdictio. Licet enim VLPIANVS (201) eius iuris initium a moribus arceſſat, tamen ſimul docet, lege XII. Tabularum interdici prodigo bonis. Igitur hoc initium ipſa lege antiquius fuiſſe debet (202).

### Obſ. 130. ad §. CCLXXII. Schol.

*Petentibus*) Inde quoque Marcus cum filio ſuo Commodo reſcripſit, vt is qui tutelam adminiſtrauit, pupillum ſuum puberem factum admoneat, vt ſibi curatorem petat (203). Quo conſtituto demum finem accipiebat tutoris officium (204). Sed cur Auctor §. 260. dixit,

(201) *l. 1. D. de curat. furioſ.*

(202) SCHVLTING *Jurisprud. Antejuſt. p. 341. n. 15.*

(203) *l. 5. §. 5. D. de adminiſtr. & pericul. tutor.*

(204) *l. 33. §. 1. D. eod.*

xit, pubertate ipso iure finiri tutelam? Salua res est. Ipso iure finitur tutela quoad personam pupilli, sed quoad rerum administrationem demum finem accipit tutoris officium curatore constituto (205).

Obs. 131. ad §. CCLXXV. Schol.

*Accensuisse)* Scilicet M. Terentius Varo notauit, seculum dictum a sene, quod longissimum spatium senescendorum hominum id putarunt. Et hinc etiam verosimile est, Lætorium seculum in quatuor periodos diuisisse. Quidquod JCti etiam longissimum vitæ humanæ tempus centum annis finiuerint (206).

Obs. 132. ad §. CCLXXVII.

*Distinguitur)* Hodierni fori vsu omnes actores dicuntur, licet post litem contestatam ab ipso pupillo vel minore cum auctoritate tutoris consensuue curatoris constituti fuerint.

Obs. 133. ad §. CCLXXVIII.

*Sufficiunt)* Non annos numerarunt veteres Germani, sed armis idoneum puberem esse voluerunt (207). Quod cum



(205) *cit. l. 5. §. 5.*
(206) *l. 76. D. de Judic. l. 56. D. de vsufr.*
(207) TACITVS *de Morib. Germanor. C.* 13. & 20.

contingat anno ætatis decimo octauo, vel vigesimo, hic terminus placuit gentibus originis Germanicæ (208). Receperunt etiam Normanni & Saxones annum vigesimum, vt tamen annum & diem concederent maiori, intra quem posset agere & temere alienata reuocare. Vnde hic annus etiam dictus fuit das Schreyjahr (209). Sed postea siue ignorantia siue fauore minorum adglutinarunt hunc annum minori ætati nouaque concesserunt restitutionis tempora ex iure Romano petita (210).

# Liber I. Titulus XXIV.

## De

# Satisdatione tutorum vel curatorum.

Obs. 134 ad §. CCLXXXI. Schol.

*Tenentur)* Immo non tenentur, quia post inquisitionem a magistratu confirman-

(208) BEIER *Diss. de hodierna tutorum & curatorum differentia §. 32. seq.*

(209) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect Obs. 158.*

(210) DE LVDEWIG *Diss. de ætate puberum & maiorum Cap. III. §. 8. seq.*

firmantur, ex inquisitione vero dati a satisdatione liberantur. Confirmati tamen a magistratu minore satisdare debent, cum minores magistratus non cum inquisitione, sed satisdatione tutores constituant (211).

Obs. 135. ad §. CCLXXXIII. Schol.

*Licebat*) Tabularii id est scribæ curiarum aut magistratuum municipalium erant olim serui ciuitatis. Cum vero nemo quam per eos, quos habebat in potestate, adquirere posset, consequens erat, vt is qui omnibus ciuibus stipulaturus & adquisiturus esset, nullius quidem priuatim, sed publice omnium seruus esse deberet. Postea Imperatores Arcadius & Honorius (212) tantum liberos homines tabularios esse sanxerunt, vt tamen stipulandi pro quolibet ciue eique adquirendi potestatem haberent.

# Liber I. Titulus XXV.
## De
# Excusatione tutorum vel curatorum.

Obs. 136. ad §. CCXCXVIII. Schol.

*Admittuntur*) Sæpe enim JCti res aspe-



(211) *l. 5. D. Qui testam. tutor. dar. poss.*
(212) *l. 3. C. de Tabulariis.*

riores leniori phrasi temperare solent, cuius rei exempla alia dedit BYNCKERSHOECKIVS (213).

Obs. 137. ad §. CCLXXXIX.

*Habent)* Non vero hic ad locum originis, sed habitationis attendebatur. Sic ciuem Romanum in prouincia habitantem non nisi quinque liberi excusabant. Vnde sublato licet discrimine inter ciues & peregrinos (214), hoc tamen discrimen remansit (215).

Obs. 138. ad §. CCXCII.

*Excusat)* Sed in cit. *l. 17. §. 4. D. h. t.* nihil aliud asseritur, quam ædilem posse tutorem dari, sed non negatur, eum datum se posse excusare, quin potius asseratur, ædilitatem inter eos magistratus haberi, qui a priuatis muneribus excusati sunt. Igitur volentes admittuntur, sed inuiti non coguntur (216).

Obs.

---

(213) *Obseruat. Lib. 1. Cap. 21.*

(214) *l. 17. D. de stat. homin.*

(215) HEINECCIVS *Comment. ad Leg. Pap. Pop. Lib. 2. Cap. 8. §. 2. 3. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 558.*

(216) VOETIVS *Commentar. ad Pandect. h. t. §. 8.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850930708/phys_0086
DFG

Obs. 139. ad §. CCXCIII.

*Affectatæ)* Si enim eas ideo suscepit, vt trium expleret numerum, a quarta non excusatur (217). Quid quod etiam vna tutela, si diffusum sit pupilli patrimonium, ad excusationem sufficiat (218).

Obs. 140. ad §. CCXCIII.

*Tenues)* Idem obtinet, si vna ex tribus aut ipsa quarta deferenda breui sit exspiratura (219).

Obs. 141. ad §. CCXCIII.

*Septuagenaria)* Licet itaque de iure Romano ætas septuagenaria ciuem a suscipienda tutela excusabat: hodie tamen in plerisque locis Germaniæ senectus sexagenaria excusat (220).

Obs. 142. ad §. CCXCIV.

*Capitales)* Moris fuit apud Romanos, vt si quæ graues inter eos inciderent simultates, amicitias solemni modo renunciarent, & inimicitias coram testibus profiteren-

(217) *l. 15. §. 15. D. h. t.*
(218) *l. 31. §. 4. D. eod.*
(219) *l. 17. pr. D. h. t.*
(220) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 560.*

fiterentur. Quas inimicitias sic denunciatas capitales dixerunt, eo quod sanguinem & vindictam spirarent ex professo (221).

Obs. 143. ad § CCXCIX.

*Admittuntur)* Sic numerus liberorum, quia Germani fœcunditatis priuilegio opus non habent, per se non excusat, nisi vbi lege is definitus est; sed ad copiam curarum oeconomicarum ac educationis difficultatem respiciendum est (222). Deinde in plerisque locis senectus sexagenaria excusat (223). Perpetua feminarum tutela in quibusdam terris veluti in Marchia Brandenburgica & Ducatu Brunsuicensi exoleuit. Vt tamen maritus sit curator legitimus, si vxor nondum in suam tutelam venerit, vel extra ordinem veluti ob furorem vel prodigalitatem curatore indigeat (224).

Liber

(221) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 557.* TENZEL *Diss. de effectu inimicitiarum capitalium in iure.*

(222) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Pandect. Obs. 559.*

(223) *Supra Obs. 141.*

(224) HEINECCIVS *Diss. de marito tutore & curatore vxoris Cap. 2. §. 19. seq.* HERING *Epistola de maritali vxorum tutela.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850930708/phys_0088
DFG

# Liber I. Titulus XXVI.
## De
# Suspectis tutoribus & curatoribus.

### Obs. 144. ad §. CCCII.

*Suspecti)* Ex lege XII. tabularum proponitur actio in duplum aduersus tutorem, qui rationes pupillares dolo malo auertit & conturbauit (225). Igitur JCti eum tutorem, qui non ex fide gerit tutelam, vocarunt suspectum & accusationem crimen suspecti (226).

### Obs. 145. ad §. CCCVI.

*Cognitio)* Non tamen statim accusatione instituta & suspicionis causa allegata ei administratio est auferenda, sed si indicia quædam concurrant, super quibus auditus litemque contestatus sit (227).

Obs.

---

(225) *l. 55. §. 1. D. de administr. tutor.*

(226) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 554.* BOECLER *de suspectis tutoribus.* FELT. *Diss. de suspectis tutoribus & curatoribus.*

(227) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 555.*

Obſ. 146. ad §. CCCVI.

*Latè)* Sed verius eſt, eum qui ob latam culpam remouetur, in ea cauſſa eſſe, vt integra exiſtimatione tutela vel cura abeat (228). Nullibi enim ſancitum eſt, vt tutor ob culpam leuem remoueatur, ſed omnes leges de culpa lata loquuntur (229).

# Liber II. Titulus I.

## De

# Rerum diuiſione & acquirendo earum dominio.

Obſ. 147. ad §. CCCXII.

*Patrimonio)* In bonis vero ſiue in patrimonio omne id eſſe dicitur, quod vel per actionem peti vel per exceptionem retineri poteſt (230).

Obſ. 148. ad §. CCCXIV.

*Profanum)* Quod ſi quis auctoritate priua-

(228) *l. 3. §. fin. D. h. t. l. fin. C. eod.*

(229) NOODT *Probab. Lib. I. Cap. 13. n. 7. ſeq.*

(230) *l. 52. D. de acquir. rer. domin.* HVBERVS *Prælect. ad Inſt. h. t. §. 1. 2.*

priuata sibi sacrum constituisset, quasi consecratum censebatur, dummodo ad patriam religionem pertineret. Sed si saperet religionem peregrinam profanum credebatur. Passi quidem sunt Romani, vt gentes, quæ Romam commigrarunt, patrios Deos domestico ritu colerent, sed tamen sacra peregrina publice recepta non fuerunt. Maxime enim cauerunt, ne iis inquinaretur patria religio (231).

Obs. 149. ad §. CCCXV.

*Capta)* Sed ab iis liberata quasi postliminio pristinam sanctimoniam recipiunt (232).

Obs. 150. ad §. CCCXVI.

*Manibus)* Non tamen a Pontificibus rite Diis consecrabantur sepulcra, sed fiebant diuini iuris priuata mortui illatione. Vnde quoque interdum sacra & sancta dicuntur. Sic apud GRVTERVM p. 867. occurrit inscriptio: CONSECRATA SEPVLCRA RELIGIONIS EORVM CAVSSA.

Obs. 151. ad §. CCCXVI.

*Pulsari)* Licet enim hoc casu locus religio-

(231) BYNCKERSHOECKIVS *de Relig. peregr. p. 246. seq.*

(232) *l. 30. D. de religios.*

ligiosus non sit (233), tamen non licet domino priuata auctoritate corpus vel ossa tollere (234). Sed pretio soluto statim eum religio occupat.

Obs. 152. ad §. CCCXVII.

*Portæ)* Romani in vrbe designanda adhibitis certis sacris muros aratro circumducebant. Sed vbi portæ futuræ erant, id loci non sulcabant, ne quid religionis contraheret, sed aratrum suspendentes earum spatia relinquebant intacta (235).

Obs. 153. ad §. CCCXXV. Schol.

*Docet)* Quod patet ex *l. 45. pr. D. de usurpat.* maxime vero ex *l. 3. D. ne quid in loco publico*, vbi littora maris populi Romani atque adeo publica dicuntur, cum tamen in *l. 2. D. de diuis. rerum* ad res communes referantur. Immo Imperator ius piscandi in portu fluminibusque omnibus commune esse dicit (236).

Obs. 154. ad §. CCCXXVI.

*Piscatio)* Hodie ius piscandi accensetur rega-

(233) §. 9. *Inst. h. t.*
(234) *l. 8. D. de religios.*
(235) VINNIVS *Commentar. ad Institut. h. t. §. 10. n. 2.* HEINECCIVS *Syntagm. Antiq. Roman. eod. §. 6.*
(236) §. 2. *Inst. h. t.*

regalibus (237). Ipsum enim flumen est in dominio principis. Vnde nec priuati quicquam in eo exstruere, vel ius nauigandi exercere possunt, nisi ex concessione principis (238).

Obs. 155. ad §. CCCXXVIII.

*Disputantur*) Scilicet cum GROTIVS (239) mare liberum esse defenderet, SELDENVS (240) illud pariter dominii priuati & proprietatis esse capax ac rellurem existimauit. Sed verius videtur, magnum oceanum a littoribus longissime remotum in dominio esse non posse, partim quia eius vastitas & fluiditas omnem possessionem & occupationem respuit, partim quia est vsus inexhausti (241). Maria vero particularia & pars exteri maris, quæ alluit littora, principis vel reipu-



(237) JARGOW von den Regalien *Lib. II. Can. 11. §. 9.* LEYSERVS *Med. ad Pandect. spec. 503.*

(238) GEIGER *de regali fluminis.* STRVVIVS *Diss. de fluminibus.* Conf. REINHARTH *Diss. de iure Romanorum circa flumina, alueos & ripas.*

(239) *In Tractat. de mare libero.*

(240) *In Tractat de mare clauso.*

(241) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs.* 44.

blicæ sunt, & sic nec littus commune est (242). Aer vero quatenus respectu certi alicuius fundi consideratur in dominio est (243).

Obs. 156. ad §. CCCXXX. Schol.

*Pretiosissimæ)* Plus enim curæ & sollicitudinis adhibendum esse putarunt in transferendo dominio rerum pretiosiorum, quam viliorum. Non tamen propterea sine idonea auctoritate omnes res pretiosas esse mancipi adfirmari potest, quod adfirmauit CVJACIVS, sed negauit BYNKERSHOECKIVS (244), putauitque, si quædam occurrant pretiosiora, quæ idoneus testis mancipi non vocauerit, insisten-

(242) PVFFENDORFF *de iur. Natur. & Gent. Lib. 4. Cap. 5. §. 5. seq.* Conf. BVDER *Diss. de dominio maris Suecici vulgo Lacus Bodamici.*

(243) THOMASIVS *ad* HVBERVM *Prælect. Inst. h. t. §. 5.* Vid. CARPZOVIVS *de iure circa aerem.* STRYCKIVS *Diss. de iure principis aereo.* BRANDEBOVRGII *Diss. de dominio aeris & maris.*

(244) *De rebus mancipi & nec mancipi p. 110.*

(245) *Tit. XIX. §. 1.*

stendum regulæ VLPIANI (245), ceteræ res nec mancipi sunt (246).

Obs. 157. ad §. CCCXXXIV.

*Inducit)* Scilicet iure Romano interdictum vnde vi non datur contra tertium possessorem, sed Jure Canonico extensum est contra tertium malæ fidei possessorem siue spolii conscium (247). Quid quod ex Can. redintegranda 3. Causs. 3. Qu. 1. hoc remedium competere dicunt omni illi, qui iniuste possessione excidit, licet tertius possessor in bona fide sit (248).

Obs. 158. ad §. CCCXXXIX. Schol.

*Titulo)* Scilicet pro herede vsucapere potest, si quis cum vere heres non sit,



(246) WERNHER *Progr. de rebus mancipi & nec mancipi.* CONRADI *Liber singularis de veris mancipi & nec mancipi differentiis.* MEERMANNVS *Diss. de rebus mancipi & nec mancipi earumque mancipatione coniecturæ.* ROSMANN *Diss. de rebus mancipi & nec mancipi.* HOMMEL *Diss. de origine diuisionis rerum in mancipi & nec mancipi.*

(247) *Cap. 18. X. de restitut. spoliator.*

(248) BOEHMERVS *Jur. Eccles. Protest. Lib. 2. Tit. 13. §. 7. seq. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 782.*

iuſtiſſimo errore facti credit, ſe heredem eſſe. Nam hic non ex cauſſa defuncti, ſed propria vſucapit, dum iuſtam opinandi cauſſam, ſe heredem eſſe, habet (249). Dicitur etiam titulus pro herede vel poſſeſſore, ſi in hereditate delata ſine ſua & defuncti mala fide poſſidet rem alienam (250).

Obſ. 159. ad §. CCCXLV. Schol.

*Referunt*) Quo iure nos vti dicunt propter textum des Weichbildes (251), vbi additur ratio: Denn die Biene iſt ein wilder Wurm. Sed cum dentur apes feræ ſeu ſilueſtres & domeſticæ ſeu manſuetæ, illæ eius ſunt, qui habet ius venandi in ſilua, hæ vero rectius ad animalia manſueta referuntur (252). Immo ipſe Tribonianus apes, columbas, pauones ad animalia manſuefacta referre debuiſſet, quia quamdiu reuertendi conſuetudinem non deponunt, noſtra manent, furtumque

(249) VOETIVS *Commentar. ad Pandect. Tit. pro herede §. 2.*
(250) *l. pen. D. eod.*
(251) *Art. 119.*
(252) *Arg. §. 16. Inſt. h. t. Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 719.* MVLLER *Diſſ. de iure apum.*

que committit is, qui ea lucrandi animo intercipit (253).

Obs. 160. ad §. CCCXLVI.

*Prohibeat)* Quod si vero nihilominus fundum ingressus sit & feram ceperit, tamen eius fit. Sufficit enim, quod adhuc sit in libertate naturali & ante occupationem nullius. Prohibenti vero competit contra occupantem actio iniuriarum (254).

Obs. 161. ad §. CCCXLVI.

*Sufficiat)* Trebatio placuit, bestiam vulneratam nostram esse & eousque nostram videri, donec eam persequamur. Igitur si quis eam per hoc tempus animo lucrifaciendi ceperit, furtum committit. Sed contra Trebatium obtinuit, vt capta demum nostra sit (255). Moribus Germanorum moderata feræ persecutio in alieno fundo permittitur, modo fiat sine inflatu corniculi venatorii, incitatione canuum & sclopeti explosione (256). Sed



(253) *l.* 5. §. 6. *l.* 44. *D. de acquir. rer. domin.*

(254) *l.* 13. §. *fin. D. de Iniuriis.*

(255) *l.* 5. §. 1. *D. de acquir. rer. domin.*

(256) JVS PROV. SAX. *Lib.* 2. *Art.* 61. *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect.*

hæc persequendi licentia sublata est in Saxonia Electorali (257).

Obs. 162. ad §. CCCXLVII.

*Recuperare)* Ex probabili scilicet coniectura, quod ob difficillimam persecutionem eas pro derelictis habere credamus, præsertim cum internosci, quæ nostræ fuerint, ab aliis non possint (258).

Obs. 163. ad §. CCCXLVIII.

*Perlatæ)* Sed si quæ ab hostibus capiuntur, statim capientium fiunt (259), consequitur vt non tunc demum eorum sint, postquam intra præsidia fuerunt perlata. Nec id requi-

---

*dect. Obs. 717.* ERNEST. FRID. KNORRE Rechtliche Abhandlung von der in Deutschland üblichen Jagd-Folge, in den Hällischen Anzeigen *d. a. 1755. Num. X. XI. & XII. p. 160. seq.* RAYS *Diss. de ferarum persecutione in territorio alieno vulgo* Jagd-Folge.

(257) GRIEBNER *Diss. de eo quod iustum est circa feras ex custodia dilapsas Sect. 3. §. 5.* STISSER Jagd- und Forst-Historie der Teutschen *Cap. 6. §. 49.*

(258) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 717.*

(259) *l. 5. §. 7. D. de acquir. rer. domin. §. 17. Inst. h. t.*

requirit POMPONIVS (260), quia tantum capto & intra præsidia hostium perducto eodemque bello reuerso postliminium tribuit. Quæ verba sunt enunciatiua non dispositiua.

Obs. 164. ad §. CCCXLIX. Schol.

*Docuit)* In *l. 12. pr. D de capt. & postlim.* iis dari dicitur in pace postliminium, de quibus nihil in pactis erat comprehensum. Hoc igitur de iis accipiendum est, qui exorto bello apud hostes deprehenduntur, & sic eorum serui efficiuntur posteaque reuersi postliminium habent, nisi fœdere cautum fuerit, ne iis esset ius postliminii.

Obs. 165. ad §. CCCLIII.

*Vindicat)* Idem dicendum est de thesauro propter textum Juris Prouincialis Saxonici: **Alle Schätze unter der Erden begraben tiesser denn ein Pflug gehet, gehören zur Königlichen Gewalt** (261). Igitur quæ dominus arando eruit, sibi acquirit, quæ vero effodiendo extrahuntur fisco cedunt. Et licet Doctores Saxonici hunc textum perperam explicauerint de venis metallicis, cum de defossis non



(260) *cit. l. 5. §. 1. D. de acquir. rer. domin.*
(261) JVS PROV. SAX. *Lib. I. Art.* 35.

ſub terra natis loquatur, atque Elector Auguſtus ſecundum eos conſtituerit (262); tamen ea conſtitutio extra Saxoniam Electoralem vim legis non habet (263).

Obſ. 166. ad §. CCCLVII.

*Accedere)* Si fundo fluminis hæret. Nam ſi natatilis eſt, virgultis aut alia qualibet leui materia ita ſuſtentata in flumine, vt ſolum non tangat, atque ipſa moueatur, propemodum publica & ipſius fluminis inſula eſt (264).

Obſ. 167. ad §. CCCLX.

*Paſſim)* Inundatio per ſe ſola dominium non adimit, niſi deſertio concurrat. Hinc in Belgio derelictus habetur ager, qui per decennium merſus fuit, ſi dominus non ſigna continuatæ poſſeſſionis ediderit,

(262) *Part. 2. Conſt. 53.*

(263) *Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 728.* SCHILTER *Exerc. 45. theſ. 27.* GOLL. *Diſſ. an theſauri iure Germanico hodierno regalibus fiſci adnumerandi ſunt?* FRANCKENSTEIN *Diſſ. de eo quod iuſtum eſt circa theſauros.*

(264) *l. 65. §. 2. D. h. t. Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 721.* GRYPHIANDER *de inſulis.*

rit, forte piscationem super eum exercendo. Quo iure Romano opus non est (265).

Obs. 168. ad §. CCCLXIII.

*Cedit)* Sed argumentum ab excellentia picturæ desumtum etiam ad chartam quadrat, cum scriptura longe excellentior sit charta. Haud dubie Caius in pictura exceptionem admisit (166), quia is qui pinxit nouam speciem per imaginem recit, quæ ante non fuit. Hodiernis moribus sufficit, si domino reddatur charta æque bona & pura aut pretium soluatur. Est enim charta res fungibilis, in quam non cadit adfectio (267).

Obs. 169. ad §. CCCLXIV.

*Metalli)* Sed hoc casu cessat actio ad exhibendum, quia ferruminatio per eandem materiam facit confusionem. Sic si statuæ tuæ ferruminatione brachium iunctum sit vnitate maioris partis consumi-

F 5 tur,

(265) *l. 23. D. Quib. mod. vsusfr. amitt.* GROTIVS *de iure Bell. ac Pac. Lib. 2. Cap. 8. §. 10.*

(266) *in l. 9. §. 2. D. de acquir. rer. domin.*

(267) THOMASIVS *Diss. de pret. adfect. in res fungib. non cadent. Cap. 3. §. 66. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 726.*

tur, & quod semel alienum factum est, etiamsi inde abruptum sit, redire ad priorem dominum non potest (268). Idem de purpura vesti alienæ intexta dicendum est (269).

Obs. 170. ad §. CCCLXVII.

*Scribenti)* Scilicet ad mercedem scripturæ consequendam. Immo domino chartæ actio datur contra scribentem. Cum vero tabula cedat picturæ, consequitur, vt ei qui pinxit vindicatio competat. Quodsi autem is qui pinxit tabulam possideat, datur domino aduersus pingentem ex æquitate actio vtilis, vt vel soluta picturæ impensa, tabulam restituat, vel si id facere malit, pretium tabulæ inferat (270).

Obs. 171. ad §. CCCLXXI.

*Confundentis)* Quando nimirum separationem haud recipiunt. Tunc enim quia noua fit species adquiruntur specificanti, veluti si quis suum vinum & alienum mel confuderit (271). Sed si rerum eiusdem generis confusio vnius facto fuerit

(268) *l. 23. §. fin. D. de rei vindicatione.*
(269) *§. 26. Inst. h. t.*
(270) *l. 9. §. 1. 2. D. de acquir. rer. domin.*
(271) *§. 25. Inst. h. t.*

rit facta, veluti tui meique vini, adhuc confusum pro rata commune est (272). Si diuersorum generum res fuerint confusæ & a se inuicem separari possint, veluti argentum cum plumbo, quisque materiæ suæ dominus manet (273).

Obs. 172. ad §. CCCLXXIV.

*Egerit)* Licet enim dominus tignum alienis ædibus iunctum vindicare non prohibeatur, postquam desiit iunctum esse (274): tamen arboris in alieno plantatæ & postquam coaluit iterum eruæ vindicatio ei non competit, quia credibile est, alio terræ alimento aliam factam (275).

Obs. 173. ad §. CCCLXXVII. Schol.

*Accipienda)* Sed verius, hæc verba pro synonimis esse accipienda, cum Imperator (276) ea coniungat, & apud alios etiam scriptores idem significent. Non vero ad solum factum curæ & culturæ respi-

(272) *l. 3. §. fin. l. 4. D. de rei vindicatione.*
(273) *l. 5. §. 1. D. eod.*
(274) *§. 29. Inst. h. t.*
(275) *l. 22. §. 2. D. h. t.* WILDVOGEL *Diss. de eo quod iustum est circa arbores.*
(276) *§. 35. Inst. h. t.*

respicitur, cum sic etiam malæ fidei possessor fructus industriales suos faceret, sed necesse est, vt curam & culturam ex præcedente iusta caussa bona fide adhibuerit, quia talis possessor in percipiendis fructibus id iuris habet, quod dominis tributum est (277).

Obs. 174. ad §. CCCLXXVIII.

*Factus)* Tum quia cit. *l. 4. § 2. D. fin. regund* consumtos lucrari dicitur, lucrari autem non videtur, qui restituit, quatenus locupletior est factus, sed magis ei lucrum extorquetur, tum etiam quia definitum est, de consumtis agi non posse (278). Nec extantes restituit, quos vsucepit.

Obs. 175. ad §. CCCLXXXIII.

*Dominium)* Immo traditio rerum immobilium a domino facta extra iudicium non

---

(277) *l. 25. §. 1. D. de Vsur. l. 136. D. de reg. iur.* VINNIVS *Comment ad Inst. ad §. 35. n. 8.* NOODT *Probabil. Lib. 2. Cap. 7.*

(278) *§. 35. Inst. de rer. diuis.* WILDVOGEL *Diss. de iure fructuum a bonæ fidei possessore perceptorum.* RICHTER *de duplici fructus percipiendi ratione, quam bonæ fidei possessori iura permittunt.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850930708/phys_0104
DFG

non vbique transfert dominium, sed requiritur, vt ea solemniter coram iudice loci in quo sitæ sunt, fiat, accedente resignatione dominii & inuestitura, quæ super prædiis vrbanis baculo aut pileo fieri solet (279).

Obs. 176. ad §. CCCLXXXIV. Schol.

*Referri)* Rectius ad traditionem refertur. Nam qui res suas pro derelictis habet, is non habet animum transferendi in alios dominium, quem vero is habet, qui missilia iactat (280).

Liber

(279) STRECKER *Diss. de resignatione dominii iudiciali Iure Saxonico Electorali necessaria.* WAGNER *Diss. de resignatione & traditione iudiciali.* WERNHER *Diss. de effectu traditionis rerum immobilium allodialium sine iudiciali inuestitura.*

(280) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs.* 730. GRAFFIVS *Diss. de missilibus.* FRITSCHIVS *de missilium sparsione ad l.* 2. *C. de Consul.* SCHOONHOFEN *Diss. de missilibus.*

# Liber II. Titulus II.
## De
# Rebus corporalibus & incorporalibus.

Obſ. 177. ad §. CCCLXXXVII.

*Diuidit)* Et ad res incorporales quantitatis refert nummum, pondus & mensuram, cum rei cuiuslibet æſtimatio definiatur quantitate, cereras res incorporales qualitatis vocat, quæ proprie iura dicuntur.

Obſ. 178. ad §. CCCLXXXIX.

*Mouentur)* Huc etiam ea pertinent, quæ licet grauia ſic tamen comparata ſunt, vt moueri poſſint, veluti naues vtcunque ampliſſimæ (281), molendina aquatilia ex anchoris ſtantia, non terræ adfixa & plauſtris imponi ſolita molendina caſtrenſia (282).

Liber

(281) *l. 1. §. 6. 7. D. de vi & vi armata.*
(282) *l. 26. §. 1. D. de inſtr. vel inſtrum. legat.* BORN *Diſſ. de eo quod iuſtum eſt circa molendina.*

# Liber. II. Titulus III.
## De
# Seruitutibus Prædiorum.

Obſ. 179. ad §. CCCXCIV.

*Vocantur)* Prædia ruſtica ſunt quæ inſeruiunt rei pecuariæ & agriculturæ, vrbana vero dicuntur, quæ habitationi, mercaturæ & voluptati inſeruiunt, diſtinctione non a loco, ſed ab vſu deſumta (283).

Obſ. 180. ad §. CCCXCV.

*Perpetuam)* Scilicet PAVLVS adfirmat, ſeruitutes prædiorum cauſſas perpetuas habere, id vero habere cauſſam perpetuam, quod ex naturali cauſſa non quod manu fit. Natura enim conſiſtente, hæc quoque conſiſtit (284).

Obſ. 181. ad §. CCCXCVI.

*Extinguatur)* Si ſcilicet ea mente acquiritur fundus, vt acquirens illum perpetuo

(283) *l. 198. D. de verb. ſignif.*

(284) THOMASIVS *Diſſ. de ſeruitut. ſtillicid. §. 27. ſeq.* HEINECCIVS *Diſſ. de cauſſa ſeruitutum perpetua.* Add. *Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 249.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850930708/phys_0107
DFG

petuo sibi habeat, nisi noua caussa alienationem suadeat, facta alienatione seruitus non reuiuiscit. Sed si ea ob acquisitum dominium temporale extincta fuit, reuiuiscit quando illud rursus ab acquirente recedit, veluti si prædium seruiens marito in dotem datum sit (285).

Obs. 182. ad §. CCCCIV.

*Auertere)* Sed cum seruitus in faciendo consistere nequeat, consequitur, vt tunc adsit hæc seruitus, si dominanti ius competat prohibendi, ne seruiens stillicidium secum in suam aream auertat, seu recipiat (286).

Obs. 183. ad §. CCCCV. Schol.

*Premi)* Ita enim quidam putant, non quæri hoc casu nouam seruitutem, sed magis restitui naturalem libertatem antea a lege ademptam. Sed verius videtur, ICtos tunc adesse seruitutem existimasse, vbi

(285) *l. 7. §. 1. D. de fund. dotal.* SIEGEL *Progr. an seruitus confusione extincta fundo seruiente rursus alienato, reuiuiscat.*

(286) THOMASIVS *Diss. de seruitute stillicidii.*

vbi quis pati aliquid tenetur, quod antea pati haud tenebatur (287).

Obſ. 184. ad §. CCCCVIII.

*Vehiculum)* In definitione actus de eo vehiculo ſermo eſt, quod poteſt agi, propelli, protrudi vel manu trahi id eſt curru truſatili ſeu manuali. Id quod etiam requirit quatuor pedum ſpatium, quo actus fuit circumſcriptus (288).

Obſ. 185. ad §. CCCCXIII. Schol.

*Reddidit)* Sed verius eſt, ſeruitutes etiam prædiorum vrbanorum ſolo non vſu amitti. Seruitus enim adfirmatiua aliter amitti nequit, quam ſi dominans ea plane non vtatur, ne ex parte quidem. Igitur cum in caſu legis retineat foramen, vbi tignum immiſſum fuit, adhuc vtitur ſeruitute & ſeruiens libertatem vſucapere nequit, donec illud obturauerit (289).



(287) CRELL *Diſſ. de ſeruitute altius tollendi in vſucapione libertatis conſiſtente.* MENCKEN *Diſſ. non dari ſeruitutem altius tollendi.* STRAVSS, *Diſſ. de ſeruitute altius tollendi.*

(288) BYNKERSHOECK *Obſeruat. Lib. 4. Cap. 7. Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Pandect. Obſ. 245.*

(289) THOMASIVS *Diſſ. de ſeruit. Stillicid. §. 23. ſeq.*

# Liber II. Titulus IV.
## De
# Vsufructu.

Obſ. 186. ad §. CCCCXVI.

*Cauſſalem)* Quia ſcilicet vſusfructus cum ſua cauſſa ſeu proprietate coniunctus eſt, hoc eſt, ex eadem cauſſa, ex qua & fundus meus erat, meus eſt (290). Sed is ad ſeruitutum genus non pertinet, cum res ſua nemini ſeruit (291).

Obſ. 187. ad §. CCCCXVII. Schol.

*Ratio)* Sumta a fine & vſu, quia ancillæ non ad hoc comparantur, vt pariant, ſed vt ſeruiant. Id autem ſolum in fructu alicuius rei eſſe intelligitur & ad fructuarium pertinere, quod percipitur ex eo vſu, ad quem res parata vel natura vel patrisfamilias inſtituto (292).

Obſ. 188. ad §. CCCCXIX. Schol.

*Voluit)* Decipitur procul dubio Tribonianus, dum veſtimentorum quaſi vſumfru-

(290) *l. 21. §. 3. D. de except. rei indic.*
(291) *l. 5. pr. D. ſi vſusfr. petatur.*
(292) *l. 9. §. 5. ſeq. D. h. t.* VINNIVS *Commentar. ad Inſtitut. ad §. 37. n. 1.*

fructum esse credidit. Nam vtitur fruitur iisdem fructuarius salua eorum substantia (293). Et licet in illis quasi vsusfructus constituatur, si iusserit testator, vt fructuarius similia vel eorum æstimationem restituat, eoque nomine caueat proprietario, tamen id extra ordinem fit & etiam intuitu aliarum rerum, quarum vsus non est in abusu, fieri potest.

Obs. 189. ad §. CCCCXXI.

*Liberalitate)* Igitur huic legi non subiacent ea, quæ non ex munifica defuncti coniugis liberalitate, sed ex legis prouisione ad superstitem peruenerunt (294).

Obs. 190. ad §. CCCCXXII.

*Annis)* Quia is finis vitæ longæui hominis est (295). Nisi maturius collegium dissolutum vel ciuitas aratrum passa sit (296).



(293) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 231.*

(294) Plura dixi in *Diss. de iure coniugis nuptias iterantis in bonis propriis & a priore coniuge quæsitis Cap. 3. §. 8. Edit. Nou. d. a. 1756.*

(295) *l. 56. D. h. t.*

(296) *l. 21. D. Quib. mod. vsusfr. amitt.*

Obſ. 191. ad §. CCCCXXIV.

*Temporis)* Si ſcilicet vſufructuarius eousque ſuperſtes ſit. Ipſo enim ante moriente vſusfructus interit, quippequi morte extinguitur (297).

# Liber. II. Titulus V.
## De
# Vſu & Habitatione.

Obſ. 192. ad §. CCCCXXVIII.

*Nequeat)* Niſi vel hæc mens fuerit vſum concedentis, dum ſciuit vſuarium eius eſſe inſtituti & vitæ, vt talium rerum vſum elocaret, veluti ſi aurigæ vſum equorum legauit, vel vſus inutilis eſſet vſuario, ſi eundem aliis concedere nequeat (298).

Obſ. 193. ad §. CCCCXXXIII.

*Vſu)* Licet ICti hanc ſeruitutem modo ad vſumfructum, modo ad vſum retuliſſe

(297) *l. 12. C. h. t.*

(298) *l. 12. §. 4. D. h. t.* CRELL *Diſſ. de ſeruitute vſus eiusque benigna interpretatione.*

ſe videantur (299); tamen recte pro ſingulari ſeruitutum perſonalium ſpecie habetur, quia plus eſt in vſufructu & minus in vſu, quam in ſeruitute operarum (300).

# Liber. II. Titulus VI.

## De

# Vſucapionibus, & longi temporis præſcriptionibus.

Obſ. 194. ad §. CCCCXXXIX.

*Habitam)* Tametſi enim animus derelinquendi deſit, tamen leges ex negligentia domini intra tempus definitum rem ſuam non vindicantis illum præſumunt. Sed ſi iuſtam habeat cauſſam, cur vindicare eam non potuerit, eidem concedunt reſtitutionem atque reſcindunt vſucapionem.



(299) *l. 3. 4. 5. D. de oper. ſeru.*

(300) *l. 5. §. 3. D. Vſufruct. quemadm. caueat. l. 1. §. 9. D. ad Leg. falcid.*

Obſ. 195. ad §. CCCCXLIII.

*Juſtus)* Veluti ſi procurator rem aliquam ſe emiſſe falſo mandanti perſuaſerit, quam emendam ei mandauerat. In hoc errore poſſeſſor pro emtore vſucapiet, cum in alieni facti ignorantia tolerabilis error ſit (301).

Obſ. 196. ad §. CCCCXLV. Schol.

*Fuit)* Veluti præſens fuit dominus octo annis, per biennium vero abfuit. Tandem decem annis elapſis domum reuertitur. Hoc caſu vt vſucapio completa dici poſſit, adhuc biennium in poſſeſſione eſſe debet.

Obſ. 197. ad §. CCCCXLVI. Schol.

*Eſt)* Omnino fraudi eſt. Nam ſanxit Juſtinianus (302), vt non aliter excludatur dominus, niſi per tricenalem præſcriptionem. Igitur facit mala fides anteceſſoris, vt a bonæ fidei poſſeſſore ordinario tempore res vſucapi nequeat (303). Niſi dominus ſciuerit alienationem & præ-

(301) VINNIVS *Commentar. ad Inſtit. ad §. 6. h. t.*

(302) NOV. *119. Cap. 7.*

(303) AVTH. *malæ fidei C. de præſcript. long. tempor.*

præsens decennio, absens autem vicennio tacuerit (304).

Obs. 198. ad §. CCCCLI.

*Aiunt)* Cum ciuitatibus iura minorum indulta sint. Rem publicam enim vt pupillam extra ordinem iuuari moris est (305).

Obs. 199. ad §. CCCCLII.

*Caudet)* Centum annorum prærogatiuam initio concessit Iustinianus ecclesiis aliisque venerabilibus locis (306). Sed eam illis iterum ademit substituta 40 annorum præscriptione (307). Nullibi vero excepit ecclesiam Romanam. Vnde AVTH. *Quas actiones C. de sacros. eccles.* illam clausulam de priuilegio Romanæ ecclesiæ de suo infarsit (308).



(304) *cit.* NOV. *119. Cap. 7.*

(305) *l. 3. C. de iur. reipubl.* HORNIVS *Progr. Vtrum Iustinianus ciuitatibus vel centenariam vel quadragenariam præscriptionem indulserit?*

(306) *l. 23. C. de sacros. eccles.* NOV. *9.*

(307) NOV. *111.*

(308) RITTERSHVSIVS *ad Nouellas Part. XI. Cap. 1. n. 10.* SCHROETER *Diss. de priuilegio præscriptionis centum anno-*

Obſ. 200. ad §. CCCCLIII.

*Principem)* Sed cit. *l. 6. C. de præſcript. XXX vel XL. ann.* tantum excludit longiſſimi temporis præſcriptionem. Quod intelligitur ex *l. 7 C. de fundis rei priuatæ* vbi Imperatores admittunt auxilium vetuſtatis. Igitur ad immunitates præſcribendas ſufficit tempus immemoriale (309).

Obſ. 201. ad §. CCCCLIII.

*Domanialibus)* Immo etiam in his procedit (310). Sufficit enim quod quandoque alienari poſſint. Quo poſito vetuſtas

---

*annorum eccleſiæ Romanæ non competente.* BACHIVS *Diſſ. de præſcriptione centum annorum in actionibus eccleſiæ Romanæ de iure ciuili.*

(309) *Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ.* 742. ZIEGLER *de iurib. maieſtat. Lib. 2. Cap. 2. §. 52.* BASTINELLER *Diſſ. de eo quod iuſtum & æquum videtur in præſcriptione immunitatis ab oneribus publicis.* CRAMER Abhandlung von einer Immunität durch Verjährung. Videatur tamen THOMASIVS *Diſſ. de præſcriptione regalium ad iura ſubditorum non pertinente.*

(310) *Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ.* 743.

ſtas temporis immemorialis documentum indiciumque præbet, alienationem olim legitime factam fuiſſe (311).

# Liber II. Titulus VII.
## De
# Donationibus.

Obſ. 202. ad §. CCCCLIV.

*Hodie)* Veteri enim iure ex ſola promiſſione non dabatur actio, ſed in rebus mancipi mancipatio, in ceteris traditio erat neceſſaria. Cum vero iure nouo ad exemplum venditionis donatio in ſe habeat neceſſitatem traditionis (312), magis titulus eſt, quam modus acquirendi (313).

Obſ. 203. ad §. CCCCLVIII.

*Acceptant)* Acceptationis neceſſitas ex

 ipſa

(311) BOEHMERVS *Jur. Eccleſ. Proteſt. Lib. 2. Tit. 26. §. 44.* OCKEL *de præſcriptione immemoriali rerum domanialium.* GASSER *Diſſ. de memoria initii contra præſcriptionem immemorialem præcipue regalium & domaniorum.*

(312) *l. 35. §. 5. D. h. t.*

(313) *l. 20. C. de Pactis.*

ipsa pactorum natura fluit, cum vtrumque consentire oporteat in vnum placitum, quod sane aliter fieri nequit, quam id, quod donatur, verbis vel factis accipiendo (314).

Obs. 204. ad §. CCCCLXI.

*Lege)* Qua scilicet Justinianus pacto donationis caussa facto eandem vim dedit, quam habuit olim stipulatio, vt ex eo nascatur obligatio & actio contra regulam iuris veteris (315).

Obs. 205. ad §. CCCCLXII.

*Ingratitudinem)* Scilicet si 1) atroces iniurias in donatorem effuderit, 2) ei impias manus intulerit, 3) vitæ insidias struxerit, 4) graue damnum in bonis ei dederit, 5) conditiones donationi adiectas implere nolit (316).

Obs.

---

(314) HEINECCIVS *ad* VINNIVM *Commentar. ad Institut. ad §. 2. h. t. n. 1. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 710.* WERNHER *Diss. de acceptatione in donationibus necessaria.* Dissentit DE LVDEWIG *Diss. de Donatione eiusque barbaro adnexu acceptatione.*

(315) *l. 7. §. 4. D. de Pactis.*

(316) PHILIPPI *Diss. de reuocanda donatione ob ingratitudinem.* SCHORCHIVS *Diss.*

Obſ. 206. ad §. CCCCLXII.

*Concedit*) Vſu tamen fori ad alios donatores extenditur, cum donatio facta ab eo, qui liberos non habet, videatur inſe continere tacitam conditionem, ſi ipſi poſtea nati non fuerint, de quibus ſi cogitaſſet donaturus fuiſſe credi non debeat, quia nemo præſumitur, ſucceſſiones alienas anteponere propriis (317).

Obſ.

---

*Diſſ. de eo quod iuſtum eſt circa reuocationem donationis.* BOSE *Diſſ. de reuocandis Donationibus.* MVSAEVS *Diſſ. de reuocatione donationis ob præſtitam contra donatorem aduocationem.* ZAVNSCHLEIFFER *de reuocatione donationum ex l. 8. & fin. C. de reuoc. donat.*

(317) *l. 102. D. de condit. & demonſtr. l. 30. C. de Fideicomm.* VINNIVS *Commentar. ad Inſtitut. ad §. 2. h. t. n. 7. Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 714.* Unſere Rechtliche Abhandlungen und Gutachten. *Num. 21. p. 224 ſeq:* PAVLI *Diſſ. de reuocandis donationibus ob ſuperuenientiam liberorum.* WERNHER *Diſſ. de reuocatione donationis ob agnationem liberorum.* FVCHSIVS *Diſſ. de reuocanda donatione ob ſuperuenientiam liberorum.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850930708/phys_0119
DFG

Obſ. 207. ad §. CCCCLXIII.

*Pignus*) Immo ſecundum veriorem ſententiam dominium quoddam, ſi ſpecies in antiphernam data ſit. Nam diſertis verbis adſerit Juſtinianus (318), eam a dote & nomine & ſubſtantia non differre. Dicitur inde antipherna, id eſt dos contraria. Igitur ſi ſoluto matrimonio dotem ſaluam non habet, antiphernam a quouis poſſeſſore vindicare poteſt (319).

## Liber II. Titulus VIII.

# Quibus alienare licet vel non.

Obſ. 208. ad §. CCCCLXV.

A*eſtimato*) Si ſcilicet æſtimatio fuit facta venditionis cauſſa. Nam tunc matrimo-

(318) *in l. fin. C. de donat. ante nupt.*

(319) AVTH. *permiſſa C. eod.* NOV. 61. *Cap. 1. §. 1.* STRYCK *Vſ. Mod. Pandect. Tit. de Jur. Dot. §. 12.* BODINVS *Diſſ. de donatione propter nuptias ab erroribus Doctorum vindicata.* HEINECCIVS *Diſſ. de vxore Romana per propter nuptias donationem de alimentis ſecura tantum.*

trimonio soluto ea in restitutionem venit iudicio venditi (320). Quod secus est si ea facta fuit taxationis caussa, vt constet quanti res sit (321).

Obs. 209. ad §. CCCCLXVI.

*Liberatio)* Si bona fide consumtum & solutio ex ea caussa facta sit, ex qua exactio fieri potest. Quod placuit ad euitandas ambages.

Obs. 210. ad §. CCCCLXVII.

*Biennium)* Quæ forma vendendi pignoris a Justiniano præscripta hodie nullibi obseruatur. Fit enim distractio, si illud iusto tempore non luerit debitor, magistratus auctoritate. Et si emtor non reperitur, creditori in solutum adiudicatur (322).

Liber

(320) *l. 10. §. 4. D. de iur. dotium.*

(321) *l. 69. §. 7. D. eod.* HELLWIG *Diss. de eo quod iustum est circa dotem æstimatam.* STRECKER *Diss. de marito fundum dotalem alienante.*

(322) STRYCK *Vs. Mod. Pandect. de distract. pignor. §. 7. seq.*

# Liber II. Titulus IX.

# Per quas personas cuique adquiritur.

## Obs. 211. ad §. CCCCLXXIII.

*Peculium)* Peculium sicut pecunia formatum a pecu. Omne enim patrimonium apud antiquos peculium dicebatur a pecudibus, in quibus eorum constabat vniuersa substantia. Vnde & pecuarius dicebatur dives, postea pecuniosus (323).

## Obs. 212. ad §. CCCCLXXIV.

*Aduentitium)* Primus Constantinus M. in bonis maternis patri tantum vsumfructum dedit (324). Quod deinde extensum ad bona ex materna cognatione liberis

(323) MENAGIVS *Amœnit. Jur. Cap. 39. voc. peculium. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 360.* Conf. PERILLVSTRIS CARRACH *Diss. de Differentiis Juris Romani & Germanici in peculio inprimis filiorumfamilias.*

(324) *l. 1. C. de bon. matern.*

ris delata (325). Demum Justinianus sanxit, vt quicquid aliunde quam a patre liberis obueniret eiusdem iuris sit (326).

Obs. 213. ad §. CCCCLXXXI.

*Succedat)* Scilicet in peculio aduentitio irregulari. Alias enim non morte filii, sed patris demum perit vsusfructus (327).

# Liber II. Titulus X.

## De

# Testamentis ordinandis.

Obs. 214. ad §. CCCCLXXXVI.

*Rogabatur*) Non tamen comitia testamentorum caussa conuocabantur. Perspicue enim refert GELLIVS (328), calata comi-

(325) *l. 2. C. eod. l. 4. C. de bon. quæ liber.*

(326) *l. 6. C. eod.* Conf. HOHEISEL *de Vsufructu patri in peculio liberorum aduentitio mortuis liberis finito.*

(327) Vid. LAVTERBACH *Diss. de peculio aduentitio irregulari.*

(328) *Noct. Attic. Lib. XV. Cap. 27.*

comitia pro collegio Pontificum fuisse habita, aut regis sacrorum aut flaminum inaugurandorum caussa, & paulo post iisdem comitiis & testamenta condita. Igitur facile intelligitur, testamentorum factionem fuisse veluti comitiorum appendicem. Pontificum vero auctoritas ideo erat necessaria, quia sacra vna cum hereditatibus transferebantur.

Obs. 215. ad §. CCCCLXXXVIII.

*Testibus)* Qui erant imago populi Romani in quinque classes descripti. Sexta enim classis ex proletariis & capite censis constabat. Cum vero proletarii testes nullius auctoritatis haberentur iisque opponerentur classici, quinque testes sufficere crediderunt (329).

Obs. 216. ad §. CCCCXC.

*Conflatum*) Fuit itaque hoc ius tripartitum, vt testes quidem & eorum praesentia vno contextu testamenti celebrandi gratia a iure ciuili descendant, subscriptiones autem testatoris & testium ex sacrarum constitutionum obseruatione adhibeantur, signacula denique & testium numerus ex Edicto Prætoris (330).

Obs.

(329) HEINECCIVS *ad* VINNIVM *Commentar. ad Institut. ad §. 2. h. t.*

(330) *§. 3. Inst. h. t.* THOMASIVS *Diss. De*

Obs. 217. ad § CCCCXCV.

*Rogati)* Sufficit tamen si ex alia causa præsentes ante actum testandi rogentur & admoneantur (331). Ipsa vero rogatio, cum facti sit, probanda est (332).

Obs. 218. ad §. CCCCXCVII.

*Annulum)* Scilicet signatorium, cui imago principis vel animalis insculpta erat. Varie enim signabant veteres, apud quos sculpturæ gentilitiæ & characteres familiarum in vsu non erant (333). Hodie quodlibet signum sufficit (334).



*De sensu legis Decemviralis testamentariæ.* IDEM *Diss. de origine successionis testamentariæ.* IDEM *Diss. prima initia successionis testamentariæ apud Romanos.* HEINECCIVS *Diss. de origine testamentifactionis & ritu testandi continuo.* BORCEEST *de testamentis eorumque solennitatibus.* LAVTERBACH *Diss. de solennitatibus Testamentorum.*

(331) STRYCK *Cautel. Testament. Cap. 15. §. 16.*

(332) IDEM *cit. Cap. 15. §. 17.*

(333) SVETONIVS *in Augusto Cap. 50. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 586.*

(334) STRYCK *l. c. Cap. 15. §. 35.*

Obſ. 219. ad §. D.

*Alicubi)* Pontificis conſtitutio in iis terris quæ ei parent vigorem habet. Sed extra eas ex regula non valet. Igitur receptio probanda eſt. Ita Doctores Saxonici teſtantur, in terris Saxonicis eam receptam eſſe. Quodſi parochus non adſit, eius loco duo alii teſtes adhibentur (335).

# Liber II. Titulus XI.

## De

# Militari Teſtamento.

Obſ. 220. ad §. DIII.

*Factio)* Niſi lex ſpecialiter eos prohibuerit. Inter quos ſunt ſerui pœnæ (336), hæretici (337), focariæ ſeu concubinæ militum aliæque in quas turpis ſus-

(335) STRYCK *Cautel. Teſtament. Cap. 13. §. 25. ſeq.* KRIEGER *Diſſ. de Teſtamento coram Parocho & duobus teſtibus.* STEIN *Diſſ. de Teſtamento coram Parocho & duobus teſtibus confecto.*

(336) *l. 13. §. 2. D. h. t.*

(337) *l. vn. C. de Hæreticis.*

suspicio cadere potest (338). Sufficit tamen si impedimentum eo tempore quo moritur miles cesset, veluti si desierit seruus pœnæ esse (339).

Obs. 221. ad §. DIII.

*Modo)* Scilicet vltra pubertatem substituere possunt. Immo liberis pupillariter recte substituunt, licet sibi testamentum haud faciant (340).

Obs. 222. ad §. DV.

*Deprehensi)* Si enim non in hostico, sed saltem in castris moriuntur, iure communi testari debent (341). Et eo um suprema iudicia in hostico sine solemnibus facta non aliter valent, quam si ibidem quoque decesserint (342). Cum contra militum testamenta recte fiant, si modo in castris & expeditione occupati



(338) *l. 41. §. 1. D. h. t.*

(339) *l. 13. §. 2. D. h. t. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 618.*

(340) *l. 15. §. pen. D. h. t.*

(341) *l. 20. pr. D. h. t.*

(342) *l. vlt. D. h. t.* HARPRECHT *Diss. de testamento pagani in hostico condito.* HOMMEL *Diss. de differentia exigua inter testamentum militare & testamentum paganum in hostico conditum.*

sint & post missionem honestam vel caussariam adhuc intra annum valeant (343).

Obs. 223. ad §. DIX.

*Tribuendum )* Neque etiam ipsa NOVELLA (344) testium numerum exprimit. Hinc duos sufficere existimant, quia vbi in plurali numero testes requiruntur, tot sufficiunt. Sed verius est quinque requiri, quia quando de vltimis voluntatibus quæritur, tot intelliguntur (345).

Obs. 224. ad §. DX.

*Remissa )* Hodie in plerisque locis vsu receptum est, vt duo testes, licet sint feminæ, sufficiant (346).

Obs. 225. ad §. DXII.

*Soluit )* Licet enim duos requirat testes; tamen eos requirit solius veritatis caussa. Igitur si de ea aliunde veluti ex scriptura con-

---

(343) *l. 26. 38. D. h. t.*

(344) *107. Cap. t.*

(345) *l. fin. C. de Codicill.* HARPRECHT *Diss. de admixtione extraneæ personæ in testamento parentum inter liberos.*

(346) STRYCK *l. c. Cap. XI. §. 3.* ZIEGLER *Diss. de testamento tempore pestis condito.*

constat, testium depositio superuacua est (347).

## Liber. II. Titulus XII.

# Quibus non est permissum facere testamentum.

Obs. 226. ad §. DXV.

*Permittente)* Cum enim lex tantum patribusfamilias dederit testandi potestatem: consequens est, vt cum priuati voluntas ius publicum mutare haud possit (348), patris permissio efficere nequeat, vt filiusfamilias incipiat esse paterfamilias (349).



(347) BOEHMERVS *Jur. Eccles. Protest. Lib. 3. Tit. 26. §. 19. seq.* JOECHER *Diss. de testamento ad pias causas sine testibus valido.* WAGNER *Diss. de testamento ad pias causas ob voluntatem imperfectam nullo.*

(348) *l. 38. D. de Pactis.*

(349) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 580.* MÜNCH *Diss. de Testamento filiifamilias.*

Obs. 227. ad §. DXVI.

*Interuallum*) Modo tamen furiosus tempore diluc idi interualli illud perficiat. Nam si cœpto testamento furor eum inuaserit, nihil actum est, licet remisso denuo furore illud perfecerit (350).

Obs. 228. ad §. DXIX.

*Hæreticis*) Quem rigorem probat ius Canonicum. Sed apud Euangelicos aut recepti sunt in numerum ciuium, aut non. Si prius iure adeptæ ciuitatis testantur. Sin posterius iure peregrinorum, quia Fridericus Imperator (351) non distinguit, an orthodoxæ, an hæreticæ doctrinæ sint peregrini (352).

Liber

(350) *l. 9. C. h. t. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs.* 577. Conf. STRECKER *Diss. de testamentis mente captorum inualidis.*

(351) In AVTH. *Omnes peregrini C. Communia de succes.*

(352) STRYCK *Caut. Testament. Cap. III. §. 60. 61. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs.* 582.

# Liber II. Titulus XIII.

## De

# Liberis exheredandis.

### Obs. 229. ad §. DXXVI.

*Rescindere)* Verius est etiam hoc casu testamentum esse nullum. Nam nouam plane exheredationis formam præscripsit Imperator, & eam non solum a patre, sed a matre quoque obseruari voluit. Qua non obseruata euacuari dixit testamentum. Forma enim rei neglecta actus est ipso iure nullus (353).

### Obs. 230. ad §. DXXVIII. Schol.

*Expressa)* Quodsi enim caussa non expressa sit, testamentum nullum erit. Sanxit enim Imperator, vt ipsas nominatim ingratitudinis caussas parentes suo inserant testamento. Iis itaque non expressis haud audiendus est heres, si vel maxime caussam exheredationis a testatore omissam probare velit (354). Ergo tunc primum inofficiosi querela opus est, si



(353) *l. 5. C. de Legibus.*

(354) STRYCK *Cautel. Testam. Cap. 19. §. 19. seq.*

exheredatio rite quidem, sed inique facta, id est quando caussa adiecta vel falsa est, vel ab herede probari nequit (355).

Obs. 231. ad §. DXXIX.

*Maleficus)* Licet enim inter maleficos in itinere vel hospitio repertus fuerit, tamen eo ipso societatem cum iis non contraxit. Sunt vero malefici venefici, incantatores, qui præstigiis & magicis artibus contra salutem hominum varia nefanda moliuntur (356).

Obs. 232. ad §. DXXIX.

*Synodos)* Scilicet Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam & Chalcedonensem (357). Cum vero hanc doctrinam hodie Euangelici amplectantur, male a Pontificiis pro hæreticis reputantur (358). Immo vt exheredatio locum habeat, requiritur, vt filius conuolauerit ad religionem in Imperio reprobatam (359).

Obs.

---

(355) STRYCK *l. c. §. 45.*

(356) *l. 4. C. de Maleficis. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctrin. Pandect. Obs. 591.*

(357) NOV. *115. Cap. 3. §. 14.*

(358) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 594.*

(359) STRYCK *Caut. Testam. Cap. 19. §. 38.*

Obſ. 233. ad §. DXXIX.

*Minorennis)* Ergo ſi poſt annum ætatis 25 in corpus ſuum peccauerit, exheredari nequit, cum pater ſibi imputare debeat, quod ei conditionem nubendi non quæſiuerit (360).

# Liber II. Titulus XIV.
## De
# Heredibus inſtituendis.

Obſ. 234. ad §. DXXXVI. Schol.

*Suſtinet)* Vt ſcilicet actus ex perſona eius vires capiat (361). Adita vero videtur retro repræſentaſſe perſonam heredis, quippe cui ſoli euentu inſpecto adquiritur (362).

Obſ. 235. ad §. DXL.

*Matrimonii)* Et ſi inter hos inæqualis fa-



(360) STRYCK *l. c. §. 25. Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 592.* ECKARD *Diſſ. de exheredatione filiæ turpiter viuentis.*

(361) *l. 52. D. h. t.*

(362) *pr. Inſt. de ſtipul. ſeruor.*

cta sit diuisio, quantum ille accepit, cui minor pars fuit attributa (363).

Obs. 236. ad §. DXLIII. Schol.

*Portiones)* Vt detracta partium mentione, quasi sine partibus heredes scripti videantur. Quod tamen in *l. 9. §. 13. D. h. t.* ita limitatur, si modo voluntas patrisfamilias manifestissime non refragatur.

Obs. 237. ad §. DXLIV. Schol.

*Heredi)* Veluti Titius heres esto cum morietur. Quo casu pura est institutio. Momentum enim mortis vitæ annumeratur; sed si quis dixit, Titius heres esto, cum Meuius morietur, conditionalis est institutio, quia certum non est, Meuium moriturum viuo herede instituto.

Obs. 238. ad §. DXLVII.

*Lege)* Tametsi conditio turpis & impossibilis in eo conueniant, quod vtraque pro non scripta habeatur, re ipsa tamen inter

(363) Prout docuimus *Diss. de iure coniugis nuptias iterantis in bonis propriis & a priore coniuge quæsitis Cap. 2. §. 1. Edit. Nou. d. a. 1756.*

inter se differunt. Turpis enim est species veræ conditionis, cum eius euentus incertus, futurus & possibilis atque adiicientis intentio sit, vt actus, donec existat suspendatur, quamuis eam lex remittat (364).

Obs. 239. ad §. DXLVIII.

*Impleatur)* Veluti si quis ita institutus sit, si Seiam vxorem duxerit, & ea nolit nubere (365). E contra conditiones ex casu pendentes omnimodo impleri debent (366).

Liber

(364) THOMASIVS *Diss. de filiofamilias sub conditione herede instituto Cap. 2. §. 15. seq. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 611.* BODINVS *Diss. de conditione turpi impleta.*

(365) RICHTER *Diss. de conditionibus potestatiuis & mixtis casu deficientibus in vltimis voluntatibus pro adimpletis habendis.*

(366) CRELL *Diss. An conditio quæ propter casum impleri nequit pro impleta habeatur.*

# Liber II. Titulus XV.
## De
# Vulgari ſubſtitutione.

Obſ. 240. ad §. DLI.

*Quarti*) Putat quidem VINNIVS (367), etiam tertio, quarto & vlteriori gradu ſcriptum vocari ſecundum, ſicuti omnes nuptiæ, quæ contrahuntur poſt primas, vocentur ſecundæ. Sed verior eſt Auctoris ſententia. Nam & tertiorum heredum meminit SVETONIVS (368).

Obſ. 241. ad §. DLIII.

*Reducuntur)* Scilicet quaſi pupillaris & militaris. Sed vix commode ad binas iſtas ſpecies reduci poſſunt, cum in multis capitibus ab iisdem differant.

Obſ. 242. ad §. DLVII. Schol.

*Admittitur)* Militat enim pro ſubſtituto præſumta teſtatoris voluntas, quippequi non videtur domino conſulere voluiſſe, dum eum inſtituit, quem dominum habere ignorauit.

Obſ.

---

(367) *Commentar. ad Inſtitut. ad h. t.*
(368) *In* CLAVDIO *Cap. 6. Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 603.*

Obſ. 243. ad DLVII. Schol.

*Dimidiam)* Hæc enim ordinarie quota non expreſſa intelligitur (369).

# Liber II. Titulus XVI.

## De

# Pupillari ſubſtitutione.

Obſ. 244. ad §. DLXI.

*Mater)* Licet enim in *l. 33. pr. D. h. t.* tabulæ, quibus mater filio impuberi ſubſtituit, dicantur pupillares, tamen inde concludi nequit, poſſe matrem pupillariter ſubſtituere. Subſtituit enim filio vulgariter, ſi heres non erit. Tabulæ vero vocantur pupillares, quia filio ſubſtitutio facta, dum adhuc eſſet in ætate pupillari, atque collata inſtitutione in tempus pubertatis, ſubſtitutus matri tunc ſuccedit, ſi filius deceſſerit, antequam in ſuam tutelam venerit (370).

Obſ.

(369) *l. 43. D. de vſufr. l. 164. §. 1. D. de verb. ſignif.*

(370) *Obſ. noſtr. ad* LUDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 606.* HOHEISEL *Diſſ. de pupillaribus tabulis a matre confectis.*

Obſ. 245. ad §. DLXI.

*Arrogatus ſit)* Sed cum arrogator cauere debeat, ſe reſtituturum ea, quæ ex bonis eius conſecutus fuerit, illis ad quos res peruentura eſſet, ſi arrogatus permanſiſſet in ſuo ſtatu (371); conſequitur, vt euanescere nequeat per arrogationem ſubſtitutio pupillaris.

Obſ. 246. ad §. DLXIII.

*Poteſt)* Nam pater cum liberis impuberibus teſtamentum condit, non teſtatur ex perſona & nudo nomine liberorum, ſed iure proprio & ex perſona ſua vi ſcilicet patriæ poteſtatis (372).

Obſ. 247. ad §. DLXV.

*Sorores)* Jure nouo parentes in hac ſubſtitutione præteriri non poſſunt, cum ſecundum illud fratres iis haud præferantur (373).

Obſ.

---

(371) *l. 18. 19. D de Adoptionibus*

(372) STRYCK *Cautel. Teſtament. Cap. 18. Membr. 2. §. 16. Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 607.* ILLVSTRIS HEISLER *Diſſ. de pupillariter ſubſtituto heredes legitimos præcipue matrem pupilli excludente.*

(373) STRYCK *l. c. Membr. 3. §. 20.*

Obs. 248. ad §. DLXVII.

*Bonis)* Ergo substitutio vltra pubertatem facta mortuo filio in ætate impubere ad omnia bona etiam ea, quæ aliunde quæsiuit extenditur. Si vero pubes factus decessit, saltem pro parte, id est quoad bona paterna valet (374).

## Liber II. Titulus XVII.

# Quibus modis testamenta infirmantur.

Obs. 249. ad §. DLXIX. Schol.

*Impugnant)* Sed verior videtur contraria sententia. Nam disertis verbis sanxit Justinianus (375), vt mater & auus maternus nominatim exheredationis causſam suo inserant testamento Quodsi igitur id non faciunt, & formam lege præscriptam negligunt, testamentum est nullum (376).

Obs.

(374) BAVER *Diss. de substitutione militari.*
(375) NOV. *115. Cap. 3.*
(376) *per l. 5. C. de Legibus.*

Obs. 250. ad §. DLXXIII. Schol.

*Constet)* Si scilicet testator in duobus codicibus simul signatis alios atque alios heredes scripserit & vtrumque extet, ex vtroque quasi vt vno competit bonorum possessio, quia pro vnis tabulis habendum est, & supremum vtrumque accipiendum (377).

Obs. 251. ad §. DLXXVI.

*Fuerit)* Si maximam & mediam capitis deminutionem passus fuit, ex eo solo quod statum recepit, conualescit. Nam hic nullum eius factum interuenit, ex quo mutatio voluntatis colligi possit. Sed si arrogandum se dedit, requiritur, vt sui iuris factus recenti aliqua voluntate confirmauerit testamentum. Dum enim se dedit arrogandum, a priori recessisse videtur (378).

Liber

(377) VOETIVS *Commentar. ad Pandect. h. t. §. 9.* LINCKIVS *Diss. de concursu duarum vltimarum voluntatum, quarum tempus ignoratur.*

(378) *l. pen. §. 2. D. de bonor. possess. sec. Tabul.*

# Liber II. Titulus XVIII.
## De
# Inofficioso Testamento.

### Obs. 252. ad §. DLXXXI. Schol.

*Extraneis)* Scilicet eousque iudicum facilitas se porrexit, vt non solum sanguine remotiores, sed etiam nullo sanguinis vinculo nexi, si de testante se bene meritos esse probassent, hereditatem institutis auocare potuerint (379).

### Obs. 253. ad §. DLXXXI. Schol.

*Inductam)* Paulus (380) enim & Vlpianus (381) heredibus, quibus inofficiosi querela competit, deberi falcidiam adfirmant. Immo quartam, quæ querelam excludit, Justinianus simpliciter vocat falcidiam (382).

### Obs. 254. ad §. DLXXXII.

*Patre)* Sed cum omnibus hisce casibus eandem exheredationis formam obseruari præceperit Imperator, quam patri suos



(379) WATER *Lib. I. Cap. 12.*
(380) *Lib. IV. Tit. 5. §. 5.*
(381) *l. 8. §. 9. 14. D. h. t.*
(382) *l. 31. C. h. t.* SCHULTING. *Jurisprud. Antejust. p. 381. n. 9.*

exheredanti præscripsit (383): consequitur, vt non inofficiosi sed nullitatis querela locum habeat (384).

Obs. 255. ad §. DLXXXIII.

*Consanguinei)* Sed iure nouo sublato inter agnatos & cognatos discrimine cum his fratres vterini in successione concurrunt. Ex quo consequitur, vt etiam cum iis in querela concurrant (385).

Obs. 256. ad §. DLXXXIII.

*Successorium)* Si scilicet sunt in diuerso ordine. Sic si quis habet filium & patrem, extraneum vero heredem instituit, filio non agente pater admittitur (386). Nam primus ordo est descendentium, secundus ascendentium. Si autem quis reliquit filium ex eoque nepotem, hic patre

(383) NOV. *115. Cap. 3. 4.*

(384) Prout docuimus *Obs. 249.* Conf. REINHARDT *Diss. de querelarum nullitatis & inofficiosi testamenti differentiis & vsu earum practico.*

(385) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 198.* BOEHMERVS *Diss. de querela inofficiosi fratrum consanguineorum §. 19. seq.*

(386) *l. 14. D. h. t.*

tre non agente querelam non habet (387). Est enim quidem in diuerso gradu, sed tamen in eodem ordine scilicet descendentium (388).

## Obs. 257. ad §. DLXXXIV.

*Mente )* Cum enim ordinarie exheredatio in odium liberorum tendat, vnde & mala mente fieri dicitur, consequens est, eam, si ea mente fit, vt liberis exheredantis prospiciatur, validam esse, veluti si pater filium ære alieno pressum exheredet, nepotes vero heredes instituat (389).



(387) *l. 6. pr. D. de iniust. rupt. testam. l. 34. C. h. t.*

(388) STRVVIVS *Syntagm. Jur. Ciuil. Exerc. X. Thes. 19. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 202.* HOMMEL *Diss. de querela inofficiosi tertio proficua.* ILLVSTRIS REVTERVS *Diss. de effectu querelæ inofficiosi testamenti iuxta ordinem Edicti successorii institutæ intuitu non quærentis.*

(389) HVBERVS *Prælect. ad Institut. h. t. §. 13.* LINCKIVS *Diss. de exheredatione bona mente facta.* FROMMANN *Diss. de exheredatione bona mente facta.*

# Liber II. Titulus XIX.
## De
# Heredum qualitate & differentia.

Obſ. 258. ad §. DLXXXVIII.

*Cenſentur)* Quaſi ſibimet ipſis heredes fierent. Sed cum viuentis nulla ſit hereditas (390) nemoque ſui ipſius heres eſſe poſſit, quia alius eſſe debet cui ſucceditur, alius qui ſuccedit: conſequens eſt, vt filii dicantur ſui quaſi proprii & in patris poteſtate dominioque Quiritario conſtituti (391).

Obſ. 259. ad §. DXCII.

*Feciſſe)* Quodſi itaque neget, ſe actus hereditarios geſſiſſe, creditoribus onus probandi incumbit. Sed vbi per hos factorum talium probatio peracta eſt, heres docere debet, ſe actus hosce non adeundi animo, ſed alia mente celebraſſe (392).

Obſ.

---

(390) *l. 1. D. de heredit. vel action. vendit.*

(391) SCHVLTING *Jurisprud. Antejuſtin. p. 106. n. 51.*

(392) GRONOVIVS *de geſtione pro herede*

Obſ. 260. ad §. DXCIX.

*Jubeat )* Immo vrgentibus creditoribus & legatariis inuentarium ſacramento confirmari debebat (393). Sed cum hodie obſignatio ſtatim fieri ſoleat, rarius iusiurandum exigi poterit, ſed ſaltem alterutrum: Ein zu Recht beſtändiges Inventarium, oder eydliche Specification (394). Præterea in plerisque locis ſufficit, inuentarium vel a notario vel a iudice fuiſſe confectum, licet nec creditores aut legatarii citati fuerint, nec heres ſubſcripſerit (395).



(393) Vid. WACHAV *Diſſ. de ſolennitatibus & effectibus inuentarii hæreditatis.*

(394) SCHRÖTER *Diſſ. de iurata ſpecificatione.* STRECKER *Diſſ. de ſpecificatione iurata.*

(395) STRYCK *vſ. Mod. Pandect. Tit. de iur. deliberand. §. 4. 7.* Plura dixi in *Diſſ. de obſignatione iudiciali Cap. 2. Edit. Nou. d. a. 1738.* Add. MENCKE *Diſſ. de præſentia creditorum in inuentario neceſſaria.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850930708/phys_0145
DFG

# Liber II. Titulus XX.

## De

# Legatis.

### Obs. 261. ad §. DCIV.

*Testamento)* Immo in legato vindicationis etiam hæc actio præter in rem actionem competebat (396). Et si res testatoris vel heredis propria alicui finendi modo relicta erat, & hic eam vindicabat, dicens: Aio hanc rem meam esse, non licebat heredi contradicere, & ego aio, illam meam esse, cum iussus esset sinere, vt legatarius eam sibi haberet (397).

### Obs. 262. ad §. DCVIII.

*Conditione)* Tale legatum non ante deberi incipit, quam conditio extiterit (398). Sufficit itaque si eo tempore seruus non sit in heredis potestate. Ad legata vero conditionalia propterea non pertinet regula Catoniana, quia per conditionem suspenduntur adeoque tempore conditi testamenti

(396) *l. 84. §. fin. D. de Legat. 1.*

(397) SCHULTING *Jurisprud. Antejustin. p. 120. n. 32.*

(398) *l. 213. D. de verb. signif.*

menti dici non possunt valere aut non valere (399).

Obs. 263. ad §. DCXII.

*Ignorauerit)* Legatarius itaque probare debet, testatorem sciuisse rem legatam esse alienam. Præsumtio enim militat pro herede, quem nemo facile creditur onerare voluisse redemtione rei alienæ (400). A qua tamen probatione liberatur, si v. c. testator dixit: Titio lego ædes Caji. Immo cum præsumtio fortior elidat minus fortem, sufficit, si v. g. probare possit legatarius, ipsum testatorem rem legatam alienasse. Non enim præsumitur proprium factum ignorasse.

Obs. 264. ad §. DCXV.

*Necessaria)* Nisi probetur etiam hanc animo adimendi factam fuisse. Cum vero præsumtio pro legatario militet, quasi non videatur extinguendi legati caussa alienare, qui etiamsi maxime illud valere velit, tamen alienare cogitur, consequens est, vt probatio mutatæ voluntatis ab herede peragenda sit (401).



(399) VINNIVS *Commentar. ad Institut. ad §. 32. h. t. n. 1.*
(400) *l. 67. §. 5. de vsufr. legat.*
(401) *l. 11. §. 12. D. de Legat. 3.*

Universitäts Bibliothek Rostock https://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn1850930708/phys_0147 DFG

Obs. 265. ad §. DCXVIII.

*Teneatur)* Scilicet rerum dotalium mobilium præstatio alias anni dilationem ex constitutione Justiniani habet (402).

Obs. 266. ad §. DCXVIII.

*Expresserit)* Falsa enim demonstratio legatum non vitiat. Quod vero certa quantitate non expressa vel certo corpore non demonstrato dotis legatum sit inutile, si dos nulla sit, inde venit, quia apparere non potest, quid aut quantum fuerit legatum.

Obs. 267. ad §. DCXXI.

*Videatur)* Sic si quis animal simpliciter leget, ea est infinitas generis, vt rem leuissimam ex eo genere præstando liberetur heres. Deinde fundus, domus certos a natura terminos non habent, cum non natura, sed destinatione hominum constituantur (403).

Obs. 268. ad §. DCXXII.

*Heres)* Cum hoc legatum tacitam haberet conditionem, si viuus optasset, con-

(402) BALCK *Diss. de prælegato dotis.* MARTENS *Diss. de prælegato dotis.*

(403) *l. 60. D. de verb. signif.* FABER *Diss. de legato fundi in genere relicti.*

consequens erat, vt ius optandi non transiret ad heredem (404), eiusque dies cederet ab adita hereditate (405). Quod itaque mutauit Justinianus & heredi optandi licentiam dedit (406).

Obs. 269. ad §. DCXXIX.

*Onere)* Quippequi portionem deficientem iure proprio magis quam iure adcrescendi capiunt, cum ex verbis testatoris iam solidum habeant (407). Vnde hoc ius etiam dicitur ius non decrescendi.

Obs. 270. ad §. DCXXXI.

*Cedit)* Si enim quid legatum fuerit, quod legatarii morte perit, legati dies cedit ab adita hereditate, quia effectus cessionis, id est transmissio legati ad heredes, hic locum inuenire nequit (408).

Obs. 271. ad §. DCXXXVI. Schol.

*Cohærere)* Id est legatum valet etiam citra rationem ei adiectam. Sed si heres probare possit, testatorem legaturum haud



(404) §. 23. *Inst. h. t.*
(405) *l. 16. D. de option. vel elect. legat.*
(406) *l. fin. C. comm. de Legat.*
(407) *l. vn. §. 11. C. de caduc. tollend.*
(408) Vid. DINCKLER *Diss. de legato ad heredes non transeunte.*

fuisse, nisi causſam quam adiecit, pro vera habuisſet, cum voluntas legato desit, erit inutile.

Obſ. 272. ad §. DCXXXVIII.

*Nomine)* Vero est admodum simile, ea legata pœnæ nomine fuisſe dicta, quæ vexandi heredis causſa relinquebantur, vt hic contra animi sententiam aliquid facere vel non facere cogeretur. Sed cum sic disceptarent, adfueritne animus vexandi, has scrupulositates sustulit Justinianus (409).

# Liber II. Titulus XXI.

## De

# Ademtione Legatorum.

Obſ. 273. ad §. DCXLII.

*Distraxerit)* Adeo vt licet postea eam redemerit, non redintegretur legatum, nisi

(409) GVNDLING *Diss. de principe herede ex testamento ciuium Cap. 6. §. 32. Obſ. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandectar. Obſ. 654.* ILLVSTRIS AYRER *Diss. de emendatione definitionis legatorum pœnæ nomine ad §. 36. Inst. de Legatis.* CELEB. BECKMANN *Diss. de Legatis pœnæ nomine relictis.*

nisi legatarius nouam probet testatoris voluntatem (410).

Obs. 274. ad §. DCXLVI.

*Peruenerit)* Nisi quantitas fuerit legata. In quantitatibus enim legatis hæc regula de duabus cautis lucratiuis haud concurrentibus locum non habet (411).

Obs. 275. ad §. DCXLVII.

*Eripiuntur)* Et inde ereptitia dicuntur. Quæ pro non scriptis habentur, veluti si quis legatum sibi ipsi adscripserit, apud eos remanent, a quibus relicta sunt. Indignis vero ablata, veluti si quis testatorem occidit, vel id egit, vt per negligentiam moreretur, fisco vindicantur.

# Liber II. Titulus XXII.

## De

# Lege falcidia.

Obs. 276. ad §. DCLI.

*Accesserit)* Scilicet si portio non grauata ad coheredem, cuius portio onerata

(410) *l. 15. D. h. t.*
(411) *l. 87. pr. D. de Legat. 3.*

rata est peruenerit, hic integra legata præstare debet, quæ non præstitisset, si is qui defecit heres extitisset, quia nimirum non leui lucro potitus fuit. Sed si portio onerata accesserit integræ aut tantum delitatæ, tunc in deficiente ratio Legis falcidiæ ponitur, quia alias ei nihil adcresceret.

## Obs. 277. ad §. DCLIV.

*Caussas)* Idque seruat hodie praxis (412). Nam NOV. *131. Cap. 12.* eo saltim casu falcidia heredem indignum pronunciat, si 1) is vltra semestre spatium a die insinuati testamenti numerandum in mora præstandi legata fuerit, præsertim si 2) insuper mendacio vsus fuerit, dicens, relictam sibi substantiam haud sufficere ad cuncta legata exsoluenda (413).

## Obs. 278. ad §. DCLIV.

*Expresse)* Tametsi vero expressam prohibitionem desiderauerit Imperator: tamen non videtur ad externum verborum sonum

(412) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 661.*

(413) STRYCK *Caut. Testam. Cap. 22. Membr. 3. §. 1.* Conf. DEINLIN *Diss. legem falcidiam ad legata piæ caussæ pertinere.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850930708/phys_0152
DFG

sonum se alligasse, sed sine dubio sufficere credidit, si modo de voluntate testatoris satis constet, veluti si dixerit: restituat illa bona sine vlla detractione, præstet legata integra, nihil apud se retineat ex legatis (414). Interim in Saxonia expressa prohibitione opus est (415).

## Obs. 279. ad §. DCLIV.

*Intercideret*) Veluti si rem legatam casu periisse dicat. Idem obtinet si rem propriam esse contendat, postea hereditariam esse conuincatur. Nam nihil interest, an subtraxerit, an hereditariam esse negauerit.

Liber

---

(414) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 660.* Conf. STRYCK *de illicita falcidiæ detractione.*

(415) STRYCK *l. c. Membr. I. §. 6. seq.* Add. GRAFFIVS *Diss. de Lege falcidia, eius origine, dispositione nec non vsu in foro saxonico.*

# Liber II. Titulus XXIII.
## De
# Fideicommissariis hereditatibus & ad SCtum Trebellianum.

Obs. 280. ad §. DCLIX.

R*estringant*) Scilicet transmiserat aliquis rem, cuius alienatio ab auo interdicta erat, filio suo, qui decedens, prægnante vxore relicta, iusserat testamento, vt si puer vel natus non esset, vel natus ante pubertatem mortuus esset, ipsius mater & vxor ad successionem vocarentur. Cum itaque casus existeret, isque ex familia ataui supererat, vindicaret rem fideicommissariam, sanxit Iustinianus, vt quia quatuor iam generationes præterierint, tam obsoleta caussa denuo non tradatur iudiciis, idemque in aliis etiam casibus obseruetur, vbi tot successiones præterierint (416).

Obs.

(416) NOV. *159. Cap. 2. 3.* Conf. KNIPSCHILD *de fideicommissis familiarum nobilium.* HAHN *Diss. de fideicommissis familiæ.* HABEE *Diss. de fideicommissis familiarum perpetuis.*

Obs. 281. ad §. DCLIX. Schol.

*Relinquebantur*) Scilicet heres clam fidem accommodabat, vt incapaci restitueret. Incapaces vero erant, qui vel ius ciuitatis non habebant, veluti proscripti, deportati, vel cum essent ciues, ex iure ciuili vel nihil, vel non solidum, vel non ex omnium testamentis capere poterant, veluti ex lege Voconia feminæ, ex lege Julia orbi & cœlibes (417).

Obs. 282. ad §. DCLXIII.

*Cogerent*) Ita tamen vt in his caussis ipse magistratus extra ordinem ius diceret, id est non formulam & iudicem daret (418). Hinc fideicommissorum persecutio dicitur extraordinaria (419).

Obs. 283. ad §. DCLXIX. Schol.

*Detrahit*) Sed tunc eam detrahit, si fiduciarius coactus adiit hereditatem (520). Idem obtinet, si primus in fauorem secundi eam non detraxerit.

Obs.

---

(417) VINNIVS *Commentar. ad Instit. h. t. ad* §. 2. *n.* 2.

(418) VLPIANVS *Tit.* 25. §. 10.

(419) *l.* 178. §. 2. *D. de verb. signif. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs.* 667.

(420) *l.* 2. 3. *pr. D. h. t.*

Obs. 284. ad §. DCLXIX.

*Imputatis)* Liberi tamen fideicommisso grauati eam non ex fructibus, sed hereditatis substantia habere debent, cum legitima iure ciuili in Trebellianicam imputetur (421). Sed iure Canonico duplex iis detractio Trebellianicæ scilicet & legitimæ permissa est (422).

Obs. 285. ad §. DCLXXI.

*Possit)* Quod si vero aperte constat, eum adire nolle, in contumaciam hereditas pro adita & restituta habetur. Nec obiicere potest, hereditatem sibi videri damnosam, quia non suo, sed fideicommissarii periculo eam adire debet.

Liber

---

(421) *l. 6. pr. C. h. t.*

(422) *cap. 16. X. de Testam.* HARPRECHT *Diss. de iure detrahendi duas quartas.* SCHNEIDER *Diss. de iure competente liberis vniuersali fideicommisso grauatis deducendi duplicem quartam legitimam & Trebellianicam.*

# Liber II. Titulus XXIV.

## De

# Singulis rebus per fideicommissum relictis.

### Obs. 286. ad §. DCLXXV.

*Præsenti*) Et audienti (423). Debet enim iurare, se nihil tale audiuisse a defuncto. Cum vero Justinianus legata fideicomissis exæquauerit sanxeritque, vt quod deest legatis, repleatur ex natura fideicommissorum (424): consequitur, vt legata æque ac fideicommissa ex sola heredis fide conualescant, & voluntati testantis standum sit.



(423) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 663.* DAEGENER *Diss. de fideicommisso nuncupatiuo minus solenni.* KAESTNER *Diss. de fideicommisso nutu relicto.* SPENER *Diss. de fideicommissorum sine solennitate relictorum valore.*

(424) *§. 3. Inst. de Legat.*

# Liber II. Titulus XXV.

## De Codicillis.

### Obſ. 287. ad §. DCLXXXI.

*Nuncupatiui )* Cum codicilli eſſent epiſtolæ, facile intelligitur, contra eorum indolem inuectum fuiſſe, vt nuncupatione ſine vlla ſcriptura fierent. Interim ex eo tempore teſtibus opus eſſe viſum fuerit, quos primus in codicillis ab inteſtato requiſiuiſſe videtur Conſtantinus M. (425).

### Obſ. 288. ad §. DCLXXXI.

*Teſtato )* Initio quidem ad heredem ſcriptum dirigebantur, poſtea vero fuit admiſſum, vt etiam ad heredem ab inteſtato dirigi poſſent (426). Codicilli ad heredem teſtamentarium ſcripti ſolebant teſtamento confirmari hac formula: ſi quos codi-

(425) *Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 633.* BÖHMERVS *Diſſ. de codicillis abſque teſtibus validis Cap. I. §. 24.* CELEB. WIDEBVRG *Diſſ. de fideicommiſſorum & codicillorum origine ſub Præſidio* GASSERI *habita.*

(426) *l. 16. D. h. t.*

codicillos reliquero, valere volo (427). Quod accipiendum est de codicillis ante testamentum conditis, ne scilicet per illud correcti viderentur (428). Sed Seuerus & Antoninus constituerunt, vt sine confirmatione valerent, modo non appareat, testatorem a priori voluntate recessisse (429).

Obs. 289. ad §. DCLXXXIV. Schol.

*Testes)* Qui erant necessarii, ex quo admissum fuit, vt nuncupatione codicilli fierent (430). In scriptis vero quinque testium numerum requisiuit Constantinus M. (431), vt testantium successiones sine aliqua capione seruentur (432). Non itaque solennitatis, sed probationis caussa eos adhibendos esse præcepit. Quod etiam voluit Theodosius (433) & Justi-

 nianus

(427) *l. 56. pr. de fideic. libert.*
(428) *l. 5. D. h. t.*
(429) §. *1. Inst. h. t.* BÖHMERVS *cit. Diss. Cap. 1. §. 14. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 634.*
(430) *l. 22. C. de fideicom.*
(431) *Obs. 287.*
(432) *l. 1. C. Theodos. h. t. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 632.*
(433) *l. fin.* §. *3. C. h. t.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850930708/phys_0159
DFG

nianus (434), dum in codicillis nullam ſolenniratem ordinationis deſiderauit, & in aliis etiam cauſſis quinque teſtium fidem requiſiuit (435).

Obſ. 290. ad §. DCLXXXVII.

*Dicant)* Immo hi non videntur præteriti, ſi hæc clauſula adiecta. Capiunt enim portionem ſuam ab inteſtato & tantum rogati cenſentur, vt id, quod ſupereſt, heredibus ſcriptis reſtituant (436).

Obſ. 291. ad §. DCLXXXVII.

*Subintelligi)* Quod ſi teſtator non obſcure ſignificauit, ſe voluiſſe tantum teſtamentum condere, clauſula adſtruenda non eſt. Sed ſi eam nec adiecit, nec repudiauit, merito præſumitur, cum quilibet in dubio cenſeri debeat voluiſſe, vt actus aliquo modo valeat, non vt plane ſit irritus (437).

Liber

(434) §. *3. Inſt. h. t.*

(435) *l. 18. C. de teſtibus.* CELEB. JENICHEN *de efficaci mulierum teſtimonio in codicillis.*

(436) STRYCK *Cautel. Teſtam. Cap. 23. §. 39. ſeq.* IDEM *Diſſ. de clauſula codicillari §. 20.*

(437) TITIVS *Jur. Priuat. Lib. 2. Cap. 3. §. 40.* DÖRCKES *de clauſula codicilla-*

# Liber III.

## Titulus I - XIII.

## De

# Succeſſione ab Inteſtato ſecundum Nouellam CXVIII.

### Obſ. 292. ad §. DCCXLII.

*Aſcenderet)* Vt tamen e latere venientes, ſi ſint ſorores vel fratres germani eorumque liberi, cum ascendentibus ad ſucceſſionem admittantur.

## I. De Succeſſione Descendentium.

### Obſ. 293. ad §. DCCXLVI.

*Concurrant)* Licet vero ſi concurrant propiores ſint, iubere tamen videbatur æquitas, vt nepotes in locum parentis intrarent eamque caperent here-



*cillari tacita.* FRÖLICH *Diſſ. de æquitate tacite ſubintellectæ clauſulæ codicillaris in teſtamentis.* LILIEN *Diſſ. de clauſula codicillari in teſtamento expreſſa & præprimis ſubintellecta.*

hereditatis partem, quam ille ſi viueret, habiturus fuiſſet (438). Sed Germani hanc fictionem ignorarunt, donec ſub Ottone M. per legem duellicam introduceretur (439). Apud Rigenſes manſit vſus iuris veteris & proximior excludit remotiorem (440).

## Obſ. 294. ad §. DCCL.

*Videtur)* Procul dubio iudicis officio liberis inceſtuoſis & adulterinis alimenta decerni potuerunt. Saltem enim videtur Imperator indecorum cenſuiſſe alimentorum petitionem ex lege ſpeciali ei concedere, cuius natales ſine execratione memorari non poſſunt. Sed hodie ſecundum

(438) *l. 1. §. 4. D. de ſuis & legitim.* VLPIANVS *Tit. 25. §. 2.*

(439) HEINECCIVS *Element. Jur. German. Lib. 2. §. 229. ſeq.* HEROLD *de Jure repræſentationis.* SCHWARTZENTHALER *de iure repræſentandi circa ſucceſſionem teſtatorum & inteſtatorum.* SCHRÖTER *Diſſ. de iure repræſentationis.* REIMBOLDVS *Diſſ. de iure repræſentationis legalis heredibus ab inteſtato venientibus competente.*

(440) STAT. RIGENS. *Lib. 4. Cap. 2. §. 3.* STRYCK *Diſſ. de collat. iur. Rig. cum iur.*

dum ius Canonicum etiam iure actionis ab his peti poſſunt alimenta (441).

## II. De Succeſſione Ascendentium.

### Obſ. 295. ad §. DCCLV.

*Alia ſit)* Immo menti Imperatoris hæc ſententia videtur conuenientior, quippequi deciſionis fundamentum non in concurſu fratrum collocat, ſed in iure repræſentationis fratrum liberis indulto. Licet vero fratrum defuncti mentionem fecerit; tamen id non dispoſitiue ſeu excluſiue, ſed exempli loco feciſſe ideoque caſum, ſi ſoli exiſtant fratrum liberi, non excluſiſſe videtur (442).



*iur. commun. Cap. 6. n. 51. ſeq. Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 687.*

(441) *Cap. 5. X. de eo qui dux. in vxor.* BÖHMERVS *Jur. Eccleſ. Proteſt. Lib. 4. Tit. 7. §. 9. Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 689.* FELZ *Diſſ. de alimentatione partus inceſtuoſi.* TENTZEL *Diſſ. de alimentis partui adulterino & inceſtuoſo præſtandis.*

(442) STRYCK *de ſucceſſ. ab Inteſtat. Diſſ. 2. Cap. 1. §. 31. Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 692.*

Universitäts Bibliothek Rostock https://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn1850930708/phys_0163 DFG

Obſ. 296. ad §. DCCLVI.

*Pertinent)* Jure tamen Saxonico ascendentes defuncti fratribus ſororibusque germanis eorumque liberis omnino præferuntur. Quod dicitur der Schoßfall. Natum inde prouerbium, das Erbe fället den Eltern in den Schoß (443). Dicitur etiam Buſen, & in Jure Pruſſico (444), daß der Buſen zertrennet, indicat, alterutrum parentem eſſe mortuum (445).

## III. De Succeſſione collateralium.

Obſ. 297. ad §. DCCLIX.

*Repræſentationis)* Quod iure Saxonico intuitu collateralium exulat. Vnilaterales tamen vno gradu remotiores cenſentur, iuxta dicterium, die halbe Geburth trit einen Grad weiter, & ſic germanorum liberi cum vnilateralibus ad ſucceſſionem admittuntur (446).

Obſ.

---

(443) CARPZOVIVS *Part. 3. Conſt. 17. Def. 6.*

(444) *Lib 5. Tit. 12. Art. 2. §. 1. 5.*

(445) *Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect Obſ. 694.*

(446) *Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 696.*

Obſ. 298. ad §. DCCLX.

*Discrimine)* Eo quod promiscue ſine vlla diſtinctione vocati fuerunt, qui ex vno parente coniuncti ſunt defuncto. Deinde Imperator omne discrimen inter agnatos & cognatos ſublatum voluit, quod verum non eſſet, ſi paterna conſanguinæis, materna vterinis ſucceſſionis iure adquirerentur (447).

Obſ. 299. ad §. DCCLXI.

*Liberos)* Iis tamen duplicem portionem adſignant, qui duplici iure defunctum attingunt, vt ſunt patrueles ex duobus fratribus & ſororibus, concurrente patruele ab alio fratre nato.

## IV. De Succeſſione Coniugum.

Obſ. 300. ad §. DCCLXIV.

*Fuerit)* Virum enim indignum eſſe legis beneficio voluit Imperator, qui iniuſte vxorem expulit. Ipſa vero vxor ſtatim ac eiicitur, quartam accipit.

Obſ. 301. ad §. DCCLXIV.

*Capiat)* Hodie ſucceſſio coniugum ple-



(447) VOETIVS *Commentar. ad Inſt. Tit. ad SCtum Tertullianum §. 18.*

rumque pactis ſtatutis & legibus prouincialibus determinatur. Si pacta non adſunt, ſecundum ſtatuta & leges cuiusuis loci ſuccedunt (448). Ita Jure Saxonico maritus eſt heres mobiliaris vxoris, ſalua liberis ex iis legitima, ſi immobilia bona vel plane non, vel non ſufficientia reliquit & filiabus gerada. Si tantum immobilia adſunt, ex iis quartam capit maritus (449). Vidua contra perinde ſuccedit ac de iure ciuili, ita vt illata conferat (450).

V. De

(448) *Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ.* 697. BOEHMERVS *Diſſ. de ſucceſſione hereditaria coniugum ex pactis dotalibus.*

(449) RIVINVS *Diſſ. maritus heres mobiliaris.*

(450) *Diſſ. noſtra de differentiis Juris Marchici & Magdeburgici in ſucceſſione coniugum. Progr. noſtr. de vſu paræmiæ Juris Germanici,* der letzte thut die Thür zu *in ſucceſſione coniugum.* WEBER *Diſſ. de ſucceſſione ſuperſtitis coniugis pauperis.* A RHEDEN *de ſucceſſione coniugum ſtatutaria Bremenſi.* FRIESE *Diſſ. de ſucceſſione coniugum ab inteſtato ſecundum ſtatuta Auguſtana.* KEMMERICH *Progr. de ſucceſſione coniugum ex ſtatutis vrbis Lubecenſis.* MEIER *de ſtatutis ſalzenſibus*

## V. De Succeſſione Fisci.

Obſ. 302. ad §. DCCLXVI.

*Imperialis*) Id eſt ſi quid a principe donatum ſit pluribus, id vno ex illis deficiente ad hos, qui ſunt participes eiusdem liberalitatis, deuoluitur.

# Liber III. Titulus XIV.

## De Obligationibus.

Obſ. 303. ad §. DCCLXVIII.

*Vinculum*) Per metaphoram obligatio vinculum vocatur, quia ſcilicet iuſſus Imperantis voluntatem noſtram conſtringit. Alias obligatio eſt neceſſitas per Imperantem legitime impoſita ſecundum leges viuendi (451). Voluntas enim

---

*bus & ſucceſſione coniugum iuxta ea.* BÜTTNER *Diſſ. de collatione iuris ciuilis Romani cum ſtatutario Francofurtano circa ſucceſſionem coniugum.*

(451) *Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 800.*

enim subiectorum voluntati Imperantis conformis esse debet.

Obs. 304. ad §. DCCLXIX. Schol.

*Filiumfamilias*) Sed hoc exemplum potius ad alteram speciem pertinet, quod scilicet obligationi non omnino adsistant iura. Nam obligatio naturalis hunc effectum habet, vt solutum condici nequeat (452).

Obs. 305. ad §. DCCLXXII.

*Conuentio*) Factum quod duorum pluriumue consensum requirit, dicitur conuentio. Quod vero vnius voluntate absoluitur pollicitatio. Quæ fit vel Deo, vel reipublicæ, illa votum, hæc pollicitatio in specie dicitur. Quæ vim obligandi non produceret, nisi lege confirmaretur, quippequæ eam acceptat in anteceſſum (453)

Obs. 306. ad §. DCCLXXIX.

*Cognomines*) Habere enim nomen dicitur,

(452) *l. 9. §. fin. l. 10. D. ad SCtum Macedon.*

(453) *l. 3. D. de Pollicitation.* SCHACHER *Diss. de Pollicitatione.* LEYSERVS *Diss. de pollicitatione & voto.* SCHRÖTER *Progr. de votorum vsu inter Christianos licito.*

tur, quod producit actionem eiusdem nominis. Contractus innominati, quia sunt conuentiones, quæ a datione vel facto incipiunt, causſam habent. Nam causſam habet, quod vel a traditione, vel a solemni stipulatione, vel a litteris, vel a mutuo consensu incipit (454).

Obs. 307. ad §. DCCLXXXI. Schol.

*Agitur*) Sed cum vtroque casu eadem sublit ratio & dolus excludat consensum, quia bonæ fidei nihil magis contrarium est quam dolus (455); verius videtur, etiam propter dolum incidentem deceptum contractum nullum dicere posse. Nec obstat *l. 13. §. 4. D. de act. emt.* Nam in ea permittitur decepto contra decipientem experiri actione quanti minoris. Sed inde haud sequitur, ergo ad nullitatem contractus agere nequit (456).

Obs.

---

(454) HEINECCIVS *Syntagm. Antiq. Roman. h. t. §. 4.* KEMMERICH *Progr. de origine contractuum nominatorum & innominatorum, nec non diuersarum actionum inde natarum.*

(455) *l. 116. D. de reg. iur.*

(456) NOODT *de forma emendandi doli mali Cap. 9. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 153.* Contrariam sententiam

Obſ. 308. ad §. DCCLXXXV.

*Lata)* Quæ dolo æquiparatur, ſi quæritur de damno reparando, non ſi quæſtio eſt de pœna irroganda. Nam pœna præſupponit delictum, hoc propoſitum peccandi, quod vero in culpa haud deprehenditur (457).

# Liber III. Titulus XV.

# Quibus modis re contrahitur obligatio.

Obſ. 309. ad §. DCCXCIII. Schol.

*Quantitate)* Retinet enim creditor eandem quantitatem ſeu genus numero defi-

---

tiam tuentur ILLVSTRIS REVTERVS *in Diſſ. de doli incidentis & cauſſam dantis in contractibus effectu ſub Præſidio* ILLVSTRIS NETTELBLADTII *Halæ an. 1744. habita &* LVDOVICI *Diſſ. de dominio ex contractu doloſo non translato §. 15. ſeq.*

(457) Conf. THOMASIVS *Diſſ. de vſu practico difficillimæ doctrinæ iuris Romani de culparum præſtatione in contractibus.* H. A. COCCEJI *de doli, culpæ & negligentiæ præſtationibus in quolibet negotio.*

definitum in bonis, quatenus ius est ipsi tantundem & æque bonum repetendi & actiones etiam & iura in bonis sunt (458). Ergo res non alienatur in genere, sed ipsa illa corpora, quæ mutuo dantur & accipiuntur, quippequæ non repeti possunt in eadem specie, sed in eodem genere. Hinc etiam non rei vindicatio, quæ saltem domino competit, sed condictio siue actio qua intendimus, nobis dari oportere, conceditur (459). Quæ domino non datur (460).

Obs. 310. ad §. DCCXCV.

*Videatur)* Sufficit enim si tales nummos restituat debitor, quales mutuo dati, quippe quos accipere tenetur creditor qualicunque in bonitate mutata. Sed si non possunt restitui, tot alii nummi soluendi sunt, quam expendi posset pecunia mutua, si in eadem bonitate adhuc adesset (461).

Obs.

(458) *l. 49. D. de verb. signif.*
(459) §. *15. Inst. de actionibus.*
(460) §. *14. Inst. eod.* SCHVLTING *Jurisprud. Antejustin. p. 147. n. 12.*
(461) *l. 22. D. de reb. cred.* STRYCK *vs. Mod. Pandect. Tit. de reb. cred. §. 12.* TITIVS *Jur. Priuat. Lib. 4. Cap. 8.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850930708/phys_0171
DFG

Obſ. 311. ad §. DCCXCVIII.

*Dominium*) Licet enim in quibusdam prouinciis ſecundum ius antiquum obtineat parœmia: Hand muß Hand wahren (462), adeoque contra tertium bonæ fidei poſſeſſorem negetur rei vindicatio: tamen inde haud ſequitur, ergo translatum fuit dominium, quippequod inter paciſcentes actum non fuit (463).

Obſ. 312. ad §. DCCXCIX.

*Nequit*) Niſi propter improuiſam neceſſitatem (464).

Obſ. 313. ad §. DCCCV.

*Modicos*) Modica enim impendia ad commodatarium pertinent (465).

Obſ.

---

*8. §. 14.* SCHÜTTEN *Diſſ. de eo quod iuſtum eſt circa reſtitutionem mutui mutata monetæ bonitate.*

(462) HERTIVS *Lib. 1. Parœm. 18.* PISTORIVS *Centur V. Parœm. 70.* AMSELS *Diſſ de rationabilitate canonis Juris Lubecenſis*, Hand muß Hand wahren.

(463) STRYCK *Vſ. Mod. Pandect. Tit. de Commodat. §. 6. ſeq.* HEINECCIVS *Element. Jur. German. Lib. 2. Cap. 9. §. 2. ſeq.*

(464) *Arg. l. 3. C. Locat.*

(465) *l. 18. §. 2. D. Commodat.*

Obſ. 314. ad §. DCCCX.

*Irregulare)* Vtroque caſu depoſitum dicitur irregulare, & in cit. *l. 1. §. 34. D. Depoſiti.* ſaltem disponitur, pecuniam apud aliquem hac lege depoſitam, vt ſi voluiſſet ea vtatur, antequam vtatur, manere depoſitum. Sed ſi ad preces depoſitarii vſus permittitur, ſtatim degenerat in mutuum (466). Quodſi vero rei non fungibilis depoſitæ vſus permittatur, ex depoſito fit commodatum (467).

Obſ. 315. ad §. DCCCXIII.

*Litigioſa)* Eſt enim rei litigioſæ depoſitum hac lege factum, vt lite finita victori reſtituatur (468). Deponere vero non ſolum ad res mobiles, ſed etiam immobiles pertinet, quia conſiſtit in man-



(466) *l. 9. §. fin. D. de reb. credit.*

(467) *Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 326.* ILLVSTRIS NETTELBLADT *de depoſito irregulari.* DEDEKIND *de contractu, quem irregulare depoſitum perhibuerunt, qui vero non eſt depoſitum, vel in alium contractum degenerat.*

(468) *l. 110. D. de verb. ſignif. l. 6. 17. D. Depoſiti.* LINCK *Diſſ. de ſequeſtratione.* ZIEGLER *de ſequeſtrationibus.* HENNEMANN *Diſſ. de ſequeſtro.*

data custodia (469). Quod si aliud accedit, veluti vt ædes locet inquilinis easque reficiat, potius est mandatum (470).

Obs. 316. ad §. DCCCXVIII.

*Persequendas)* Cum ex hypothecæ constitutione, vtpote pacto nudo facta, nulla daretur actio, Prætor Seruius eam vnico casu suppellectilis a colono expresse obligatæ concedebat. Sed perspecta huius dispositionis æquitate, ea ad omnis generis hypothecas fuit producta, ita vt prima illa seruiana actio nihil omnino peculiare retineret præ altera, quæ eam in omnibus imitatur, adeoque nulla nisi historica superfit differentia (471).

Obs. 317. ad §. DCCCXXV. Schol.

*Debitum)* Dum enim debitor actione pignoratitia experitur, creditor ei exceptionem doli opponit. Sicuti enim debitor vult, vt creditor stet promissis & pignus ex contractu restituat: ita etiam ipse stare debet promissis & contractum a sua

(469) *l. 1. pr. D. Depositi. l. 186. D. de verb. signif.*

(470) *l. 5. §. 4. D. de præscript. verb.*

(471) MYLIVS *Diss. de actione quasi seruiana.* ROMANI *Diss. de quasi seruiana.*

a sua parte implere, id est debitum chirographarium soluere (472).

# Liber III. Titulus XVI.
## De
# Verborum Obligationibus.

Obs. 318. ad §. DCCCXXXIII.

*Deberi)* Scilicet tempus per se consideratum non est modus finiendæ obligationis. Pactum enim finit & terminat id quod est finiendum. Ipso iure igitur qui promisit obligabitur, sed quia pactum, quod stipulationi non inest, finiendæ obligationis caussa adiecit promissor, heredem petentem exceptione pacti submouebit (473).



(472) BRUNNEMANN *ad l. vn. C. etiam ob chirogr. pecun. pign. teneri n. 8.* MENCKE *Diss. de retentione pignoris ob aliud debitum.*

(473) GUNDLING *in Gundlingianis Part. XV. Obs. 4. §. 8. seq.*

Obſ. 319. ad §. DCCCXXXVI.

*Legitur)* Scilicet non quæritur, an is, qui factum non præſtitit, debeat id quod intereſt? Sed ſi is, qui factum ſtipulatus eſt, vrgeat, vt promiſſa extent, annon promiſſor remediis prætoriis compelli poſſit, vt faciat, quod ſe facturum promiſit? Et id nunquam negant leges (474).

# Liber III. Titulus XVII.

## De

# Duobus reis ſtipulandi & promittendi.

Obſ. 320. ad §. DCCCXLI.

*Adpellandi)* Id eſt correi dicuntur a re, quatenus vnam eandemque rem ſtipulantur aut promittunt (475).

Obſ. 321. ad §. DCCCXLV. Schol.

*Auctoritate)* Nam cum in NOVELLA 99. *Cap. 1.* tantum iis hoc beneficium ſit indul-

(474) HEINECCIVS *ad* VINNIVM *Commentar. ad Inſtitut. cit. §. fin. n. 2.*

(475) *Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 805.*

indultum, qui mutua fideiussione interueniſſe proponuntur, in foro tamen AVTHENTICAM *Hoc ita C. h. t.* quæ omnibus correis illud indulget, ſequimur. Quo ipſo vero otioſa haud eſt correalis obligatio, quippequæ, ſi beneficio renunciatum ſit, vel correi ſoluendo non ſint, effectum habet (476).

Obſ. 322. ad §. DCCCXLVII. Schol.

*Poteſt)* Sed in cit. *l. 2. C. h. t.* caſus ſupponitur, vbi conſtituti ſunt duo correi debendi ex præcedente cauſſa mutui communiter accepti, aut ex alia ſimili cauſſa oneroſa, ex qua vtilitas ad vtrumque peruenit. Quo probato iubetur rector prouinciæ, iuuare eum, qui ſolidum ſoluit aduerſus alterum, qui vna cum ſoluente mutuum acceperat (477).



(476) *Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 807.*

(477) VÖTIVS *Commentar. ad Pandect. h. t. §. 7.*

# Liber III. Titulus XIX.

## De

# Diuisione Stipulationum.

### Obs. 323. ad §. DCCCLIV.

*Decreto)* Ex primo decreto missus detentionem rei vitiosæ vna cum domino consequitur, vt hic odio communis detentionis ad cauendum adigatur. Sed si per tempus longum, quod lege non definitum adeoque arbitrarium est, non cauerit, missio fit ex secundo decreto, & missus dominum expellendi facultatem nanciscitur ciuilemque possessionem cum potestate vsucapiendi.

### Obs. 324. ad §. DCCCLVII.

*Solita)* Item ab herede si seruus legatus se proripuerat. Cauere enim iubebatur, se eum persecuturum & legatario restituturum (478).

Liber

(478) *l. 69. §. 5. D. de Legat. 1.*

# Liber III. Titulus XX.
## De
# Inutilibus Stipulationibus.

Obſ. 325. ad §. DCCCLXIII. Schol.

*Hodie)* Quia ſcilicet exulat illa ætatum differentia, minor ipſo iure tutus eſt, ſi ſine curatoris conſenſu contraxerit. Quid quod Jure Romano ſeruari non debeat contractus a minore curatorem habente initus (479).

Obſ. 326. ad §. DCCCLXV.

*Heredi)* Si quis pactus ſit, ne a ſe, neue a Titio petatur, id Titio non proderit, etiamſi heres extiterit. Si vero pater pactus ſit, ne a ſe, neue a filio peteretur, id proderit filio heredi patris (480).

Obſ. 327. ad §. DCCCLXIX. Schol.

*Promiſſor)* Ac ſi in diem vel ſub conditione tantum conceptæ eſſent adeoque exactio ad diei vel conditionis euentum differenda ſit (481).



(479) *l. 3. C. de in integr. reſtitut. minor.* BEIER *Diſſ. de hodiern. tutor. & curator. differentia §. 13 ſeq.*
(480) *l. 17. §. 4. D. de Pactis.*
(481) *l. 25. C. de Teſtament.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850930708/phys_0179
DFG

Obſ. 328. ad §. DCCCLXIX.

*Deſit)* Veluti ſi creditrurus pecuniam ſtipulatus eſt & non credidit. Si enim ex ea ſtipulatione experitur, exceptione doli mali remouetur. Nam licet initio nihil dolo malo admiſerit, tamen dolo facit, dum perſeuerat ex ea ſtipulatione petere.

# Liber III. Titulus XXI.
## De
# Fideiuſoribus.

Obſ. 329. ad §. DCCCLXXVI.

*Clerici)* Non indiſtincte clerici fideiubere prohibentur, ſed duntaxat pro debitis publicis (482). Et in Jure Canonico (483) ſaltem vetantur aliorum fideiuſſionibus inſeruire, ſeu proxenetas agere in conciliandis aliorum fideiuſſionibus (484).

Obſ.

(482) NOV. *123. Cap. 6.*
(483) *Cap. 1. X. h. t.*
(484) BOEHMERVS *Jur. Eccleſ. Proteſt. Lib. III. Tit. 22. §. 3. ſeq. Obſ. noſtr. ad*

Obs. 330. ad §. DCCCLXXVII. Schol.

*Obligetur)* Si scilicet dos ab ipsa vxore data sit. Nam alii, qui dotem dant, eos petere haud prohibentur (485).

Obs. 331. ad §. DCCCLXXVII.

*Immineat)* In atrocioribus quidem delictis, si reus est fugitiuus & saluum conductum petit, etiam fideiussor admittitur, sed tantum pro cautione de iudicio sisti (486).

Obs. 332. ad §. DCCCLXXVIII.

*Caussam)* Id est vt vel re, vel tempore aut caussa plus debeat, quam reus principalis (487). Efficacius enim obligari arctiorique vinculo constringi potest per hypothecam, iusiurandum, pœnæ adiectionem



*ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 809.* KELIVS *Diss. de fideiussione clericorum protestantium pro laicis.*

(485) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 811.* BRAVNIVS *Diss. de fideiussore pro dote interueniente.*

(486) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 810.* WIEGERVS *Diss. de fideiussoribus in caussa criminali.*

(487) *l. 8. §. 2. D. h. t.*

ctionem instrumentaque paratæ executionis (488).

Obs. 333. ad §. DCCCLXXXI.

*Indulget*) Tametsi se obligauerint in solidum, einer für alle und alle für einen. Nam expressio eorum, quæ tacite insunt, naturam rei haud mutant (489). Accedit quod correalis obligatio beneficium diuisionis non excludat (490).

Obs. 334. ad §. DCCCLXXXVI.

*Datur*) Postquam scilicet creditori satisfecit. Immo sola condemnatio sufficit, si executio iam immineat (491).

Liber

---

(488) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 812.* CONRADI *Diss. de fideiussore in maiorem summam, quam quæ debetur adhibito.*

(489) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 815.*

(490) *Obs. 321.* STRYCK *Cautel. Contract. sect. 2. Cap. 6. §. 25.*

(491) *l. 45. D. h. t.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850930708/phys_0182
DFG

# Liber III. Titulus XXII.
## De
# Litterarum obligationibus.

Obſ. 335. ad §. DCCCLXXXVII. Schol.

*Vocatur)* Vetus litterarum obligatio erat, veteris nominis in nouum creditum per ſolemnia verba & ſolemnes litteras transformatio. Sic v. g. ſi quis mihi ex locatione debebat centum, & ego eum mihi ex litteris obligatum habere volebam, his opus erat verbis: Centum aureos quos mihi debes ex cauſſa locati expenſos tibi tuli? eaque tabulis inſcribebantur, alter reſpondebat, expenſos mihi tuliſti, eademque in tabulas referebat, addito vtriusque nomine. Quo ipſo priore obligatione extincta noua ex litteris nascebatur (492).

Obſ. 336. ad §. DCCCLXXXVIII.

*Obligatur)* Ergo licet probationis cauſſa

(492) SCHVLTING *Jurisprud. Antejuſtin. p. 163.* HEINECCIVS *Syntagm. Antiquit. Romanar. h. t. §. 2 ſeq.* DE LVDEWIG *Diſſ. de obligatione litterali nexuque ſcripturæ & ſubſcriptoris.*

sa adhibita fuerit scriptura, tamen ex accidente obligat scribentem, dum post biennium de pecunia non numerata queri nequit (493). Sed si quis falso factam esse numerationem inficiatus fuerit, convictus condemnatur in duplum (494).

Obs. 337. ad §. DCCCLXXXIX.

*Biennium)* Quod tamen minori tunc primum currere incipit, postquam maior factus fuit (495). Maiori a tempore scripti chirographi (496).

Obs. 338. ad §. DCCCXCIV.

*Velit)* Præcisa nunc omni probandi facultate etiam iurisiurandi delatio locum non habet (497). Sed cum vsu fori concedatur exceptio doli specialis, iurisiurandi quoque delatio permissa esse debet, cum dolus vix probetur, nisi delato iureiurando (498).

Liber

(493) *pr. Inst. h. t.* BODINVS *Diss. de litterarum obligatione ab erroribus Doctorum vindicata.*

(494) AVTH. *Contra C. de non num. pecun.*

(495) *l. vlt. C. in quib. causs. in integr. restit.*

(496) *l. 14. pr. C. de non num. pecun.*

(497) *l. 14. §. 3. C. de non num. pecun.*

(498) WERNHER *Obseruat. forens. Part. 1. Cap. 6.*

# Liber. III. Titulus XXIV.
## De
# Emtione & venditione.

### Obſ. 339. ad §. CMI.

*Sit)* Niſi ita conuenerit inter contrahentes. Quod dicitur pactum displicentiæ legemque dat; contractui, vt ſoluto eo, de quo conuenit, pœnitentiæ locus ſit.

### Obſ. 340. ad §. CMIV.

*Parte)* Veluti vendidit viriolam maiori ex parte æneam. Sed ſubſiſtere credidit VLPIANVS (499) venditionem, ſi id putetur aureum, quod eſt inauratum, cum materies, in qua conuenitur, ſit admixta & infuſa illi, in qua erratur, & ſic non omnino erretur in materia. Sed ſi altera alteri materiæ non ſit admixta & infuſa, veluti ſi menſa lignea ſit cooperta lamina argentea, & putetur ex ſolo argento confecta, emtio eſt nulla. Operimentum enim non eſt pars menſæ, ſed eius acceſſorium, & hinc non poteſt menſam in ſuam naturam conuertere, ſed potius ſequitur naturam menſæ (500).

Obſ.

---

(499) *l. 14. D. h. t.*

(500) *Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pan-*

Obſ. 341. ad §. CMVI.

*Noxiæ)* Item libri prohibitæ lectionis (501).

Obſ. 342. ad §. CMVIII.

*Diſſentiat)* Ex ratione quia permutatio eſt contractus antiquior. Sed cum merito pro eo præſumatur, quod fit frequentius, emtio venditio vero eſt frequentior contractus, quam permutatio, pro eo recte præſumitur (502).

Obſ. 343. ad §. CMIX.

*Nummo)* Quando ſcilicet nulla eſt proportio inter rem venditam & pretium. Tunc enim dicis gratia interuenire cenſetur, ad fingendam ſimulandamque emtionem (503).

Obſ.

---

*Pandect. Obſ. 394.* AVERRANI *Interpret. Jur. Lib. 1. Cap. 19. n. 7. ſeq.*

(501) *l. 1. D. fam. erciscund.* BÖHMERVS *Diſſ. de libris improbatæ lectionis.* Add. HEINECCIVS *Diſſ. de nauibus ob mercium illicitarum vecturam commiſſis.* STEPHANI *Diſſ. de rebus exportari prohibitis.*

(502) WERNHER *Progr. de vtilitate quæſtionis: An in dubio emtio venditio, an permutatio celebrata intelligatur.*

(503) *l. 4. D. Commodati.* AVERRANI *Interpret. Jur. Lib. 1. Cap. 29.*

Obſ. 344. ad §. CMXI.

*Sunt)* Antequam enim hoc factum, adhuc imperfecta eſt emtio. Tranſit tamen periculum in emtorem, ſi fuerit in mora (504).

Obſ. 345. ad §. CMXIV.

*Pertinent)* Nata inde formula: Was Erd, Band, Wand, Niedt, Nagel und Mauerfeſte iſt (505). Debentur vero pertinentiæ, licet earum in contractu facta non ſit mentio (506). Ipſa autem deſtinatio ex inſertione & incluſione, affixione, infoſſione, lege vel conſuetudine, nec non voluntate patrisfamilias colligitur & in dubio emtori probatio incumbit (507). Quæ contra iam eruta ſunt, veluti metalla, arbores cæſæ, pro acceſſoriis fundi haberi nequeunt.

Liber

(504) *l. 2. §. 1. l. 4. §. fin. D. de peric. & commod. rei vend.*

(505) KAESTNERI *Progr. de clauſula:* Was Erd, Wand, Band, Mauer, Nieth, Nagel und Schrauben feſte iſt.

(506) CARPZOVIVS *Part. 2. Conſt. 33. Def. 20.*

(507) STRYCK *Diſſ. de probatione pertinentiarum Cap. 2. n. 124. ſeq.* BERGER *Diſſ. de iure rerum pertinentium.*

# Liber III. Titulus XXV.
## De
# Locatione & conductione.

Obſ. 346. ad §. CMXX.

*Colligunt)* Sed fruſtra ſunt qui hoc priuilegium ex *l. vn. C. de ſtud. liber.* exſculpunt. Vero potius eſt ſimile, eius originem ab iis temporibus eſſe repetendam, quibus monachi docere cœperunt in ſcholis & academiis (508). Interim litterati eo priuilegio non ſolum in Academiis, ſed etiam aliis vrbibus gaudent (509).

Obſ. 347. ad §. CMXXII.

*Similes)* Quia ſcilicet certam mercedem non ſoluunt, ſed fundum pro parte quota fructuum ſperatorum conducunt (510).

Obſ.

---

(508) THOMASIVS *Caſib. Juridic. Part. III. Caſ. 17. Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 420.* LINCK *Diſſ. de iure litteratorum contra vicinos ſirepiferos aliosque ſtudia impedientes.*

(509) FINCKELTHAVS *Obſeruat. Pract. 64.*

(510) LAVTERBACH *Diſſ. de colono partiario.*

Obſ. 348. ad §. CMXXV. Schol.

*Conſentanea)* Sed magis conſentanea videtur regula poſterior iuris principiis. Nam 1) nemo plus iuris transferre poteſt quam ipſe habet, 2) per factum ſuum tertio non poteſt præiudicari, 3) emtor non habet vindicationem, quia dominium non accipit, niſi tradita vacua poſſeſſione (511), inſiſtente vero & contradicente conductore poſſeſſio vacua non eſt (512). Igitur emtori nulla ſupererit actio, non vindicatio, quia dominium non habet, non actio ex contractu, quia cum conductore non contraxit, ſi vero ageret ex perſona locatoris, obſtaret ei exceptio contractus (513).

Obſ. 349. ad §. CMXXVI.

*Videri)* In cit. *l. 1. §. fin. D. h. t.* non dicitur, finita locatione ad idem tempus

M taci-

(511) *l. 2. §. 1. D. de action. emt.*

(512) *l. 3. §. 15. l. 4. D. Ad exhibend.*

(513) *Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. andect. Obſ. 428. & 429.* ZOLLIVS *Diſſ.* Kauff hebet Miethe nicht auf. GERHARD *Diſſ. de proverbio iuridico:* Kauff gehet vor Miethe. ILLVSTRIS AYRER *Progr. de genere actionis aduerſus conductorem emtori cedere nolentem inſtituendæ.*

tacite factam censeri relocationem, sed conductorem obligari prouti habitauerit, nisi in scriptis certum tempus conductionis comprehensum sit, scilicet in quod finita prima locatione extendi debeat eius prorogatio (514).

# De Contractu emphyteuseos.

Obs. 350. ad §. CMXXXI.

D*icitur)* Id est inserendo, implantando. Licet vero agri vectigales & emphyteutici promiscue in iure nostro accipiantur: tamen inculti, quibus annua eaque satis tenuis imponebatur pensio, vt veri domini memoriam conseruaret, speciatim dicti fuerunt emphyteutici. At vero postea agri cultissimi & fertilissimi immo etiam ædes in emphyteusin dari cœperunt (515).

Obs.

---

(414) STRYCK *vs. Mod. Pandect. h. t. §. 71. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 421.* PHILIPPI *Diss. de relocatione & reconductione tacita.* KVNTZ *Diss. de relocatione tacita.*

(515) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 215.*

Obſ. 351. ad §. CMXXXV.

*Velit)* Qui tamen intra duos menſes ſe declarare debet, an iure ſuo vti velit, nec ne (516).

Obſ. 352. ad §. CMXXXVII.

*Remittatur)* Nam & tunc dominium directum recognoscendum eſt (517). Aliud eſt in locatione, quia hic non in dominii recognitionem, ſed pro fructibus merces præſtatur iisque proportione reſpondet.

Obſ. 353. ad §. CMXXXVIII.

*Exſpirat)* Non tamen propria ſed iudicis auctoritate expelli debet emphyteuta. Exceptiones enim, quas forte habet, puta compenſationis, transactionis, remiſſionis ei ſaluæ eſſe debent.

# Liber III. Titulus XXVI.

## De

# Societate.

Obſ. 353 ad §. CMXLIII.

*Intelligitur)* Id eſt licet ſpecialiter non interueniat traditio, tamen tacite inter-



(516) *l. 3. C. de iur. emphyteut.*

(517) Conf. GREINEISEN *Diſſ. de canone emphyteuticario.*

uenire creditur (518). Qui enim hactenus res suas sibi tenuit iure dominii, is nunc constituit eas possidere ex caussa societatis, non tantum sibi, sed & socio (519).

Obs. 354. ad §. CMXLVIII.

*Sors*) Quemadmodum enim alterius opera, ita etiam sors fuit otiosa, & cum neuter societati lucrum quæsiuerit, sors salua esse debet ei qui eam intulit.

Obs. 355. ad §. CMXLIX.

*Fiat*) Si absenti renunciata societas, quoad is sciuerit, quod renuncians acquisiuit, in commune redigitur. Quod vero absens acquisiuit, ad eum solum pertinet (520). Idem obtinet si renunciatio sit intempestiua & dolosa. Nam renuncians tenetur ad communicationem eius, cuius intuitu renunciauit, socii vero ei non amplius obligantur (521).

Liber

(518) *l. 2. D. h. t.*
(519) NOODT *Probabil. Lib. 2. Cap. 6.*
(520) *l. 17. §. 1. D. h. t.*
(521) *l. 65. §. 3. D. eod.* Conf. VLLMANNVS *Diss. de dissoluenda vnius renunciatione societate.*

# Liber. III. Titulus XXVII.
## De
# Mandato.

Obſ. 356. ad §. CMLIV.

*Commendatur*) Niſi adiiciatur, vt actus commendantis periculo ſuscipiatur, quippequo caſu commendatio degenerat in mandatum. Inter mercatores etiam ſpecialis commendatio, quæ fit ad fidem nouo mercatori conciliandam, mandato æquiparatur (522).

Obſ. 357. ad §. CMLIX.

*Teneri*) Scilicet ratione exceſſus, nam quoad ſummam concurrentem non denegatur actio (523).



(522) CARPZOVIVS *Part. 2. Dec. 126. n. 10. ſeq.* FINCKELTHAVSS *Obſ. 16. n. 5. Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 380.* LYNCKER *Diſſ. de commendatione ſpeciali.*

(523) §. *8. Inſt. h. t. ibique* VINNIVS CELEB. BECKMANN *Diſſ. de obligatione mandantis erga mandatarium fines mandati excedentem.* WILLENBERG *Diſſ. de mandatario mandatum excedente.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850930708/phys_0193
DFG

Obſ. 358. ad §. CMLXI.

*Integra)* Quodſi enim mandatarius intuitu mandati impenſas fecerit, vel ſe obligauerit, reuocatio quidem valet, ſed mandatarius indemnis ſeruari & a nexu obligationis liberari debet.

# Liber. III. Titulus XXVIII.

## De

# Obligationibus, quæ quaſi ex contractu nascuntur.

Obſ. 359. ad §. CMLXVI.

*Præſumto)* Cum enim ICti omnes obligationes ex contractu vel delicto deducere vellent, obligatio autem ex contractu ſine conſenſu eſſe non poſſet, fingebant conſenſum duorum pluriumue in vnum placitum, quoties æquitas naturalis lege ciuili probata obligationem introducebat.

Obſ. 360. ad §. CMLXX.

*Prætulerit)* Immo licet ſe aliis non prætulerit, tamen ad exactiſſimam diligentiam

tiam tenetur. Nam 1) non sufficit, si talem rebus alienis adhibeat diligentiam, qualem suis adhibet, si modo alius diligentior vtilius negotia administraturus esset (524). 2) Nec quidquam in negotiorum administratione culpa vacuum est (525). 3) Nulla caussa est, cur leuius obligetur, qui se miscet rebus ignorantis, quam qui se deposito obtulit. At vero hic tenetur ad culpam leuissimam (526).

Obs. 361. ad §. CMLXXX.

*Diuidendam)* Communio definitur, dominium pluribus personis in vnam rem æqualiter competens. Igitur quatenus petitur rerum communium diuisio, actio est realis. Sed si petitur communicatio lucri & damni ex re communi resultantis, actio ex æquitate occasione administrationis nascitur.



(524) §. 1. *Inst. h. t.*
(525) *l. 21. C. Mandati.*
(526) *l. 1. §. 35. D. Depositi.* VINNIVS *Commentar. ad Instit. ad §. 1. h. t. n. 3. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 145.* CRELL *Diss. de omni culpa in negotiorum gestionis iudicio præstanda.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850930708/phys_0195
DFG

Obſ. 362. ad §. CMLXXXVIII.

*Juris)* Quatenus ſcilicet lucro quodam acquirendo priuatur. Nam natura huius condictionis non patitur, vt quis locupletior fiat cum alterius damno, id quod potiſſimum ex deminutione patrimonii colligitur (527).

Obſ. 363. ad §. CMXCI.

*Juris)* Sed cum condictio detur ex bono & æquo & in ſola æquitate fundetur (528) indeque naturalis dicatur (529): conſequitur, vt non ſtricti iuris, ſed bonæ fidei ſit (530).

# Liber III. Titulus XXX.

# Quibus modis tollitur obligatio.

Obſ. 364. ad §. MI.

*Partes)* Cum enim natura obligationum requirat, vt eodem modo, quo quæque

(527) BOEHMERVS *de Actionibus ſect. 2. Cap. 5. §. 27. Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 330. & 492.*
(528) *l. 14. 66 D. de condict. indebit.*
(529) *l. 15. pr. eod.*
(530) BOEHMERVS *l. c. ſect 1. Cap. 3. §. 38.*

que contracta est, dissoluatur (531): consequens est, vt non dissoluatur, nisi res inde debita ita præstetur, vti ab initio cœpit deberi. Cœpit autem deberi tota, ergo solutio per partes creditori inuito fieri non potest. Excipitur in RECESSV IMPERII d. a. 1654. casus, si debitor belli iniuria ad incitas redactus sit. Quod Doctores ex paritate rationis ad alias calamitates publicas extendunt (532).

Obs. 365. ad §. MIV.

*Illiquidum*) Liquidi enim cum illiquido nulla est compensatio. Quod volunt Germani in prouerbio: Geld vor, Recht nach (533). Igitur ad reconuentionem remittitur.

Obs. 366. ad §. MIV.

*Compensatur*) Nisi quoad interesse priuatum. Sic marito ad diuortium contra



(531) *l. 35. D. de reg. iur.*

(532) SCHVLZE *Diss. de solutione partiali.*

(533) HERTIVS *Lib. I. Parem. 39. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 373.* PERILLVSTRIS CARRACH *Diss. de Brocardico, liquidi cum illiquido nulla est compensatio.*

vxorem adulteram agenti recte opponitur compensationis exceptio, si ipse est in pari reatu.

Obs. 367. ad §. MVI.

*Coalescunt*) Veluti si debitor creditori vel creditor debitori heres existat. Requiritur tamen, vt id fiat irreuocabiliter, alias iure reuocato reuiuiscit obligatio. Sic si maritus in dotem accepit fundum, qui ipsius prædio debet seruitutem, durante matrimonio extinguitur, sed soluto eo reuiuiscit seruitus (534).

Obs. 368. ad §. MVII.

*Citata*) Scilicet ad videndum deponi & obsignari pecuniam, si facta oblatione eam recipere nolit. Sed si creditori rite oblata fuerit, citationem nullibi requirunt leges. Igitur tunc demum ea erit necessaria, si legitima oblatio non præcesserit. In Saxonia vero citatio omnium quorum interest requiritur (535).

Obs.

---

(534) *l. 7. pr. §. 1. D. solut. matrim.* BASTINELLER *Diss. de confusione.* EICHEL *Diss. de confusione obligationum id est concursu iuris inter creditoris & debitoris vnam personam.*

(535) Plura dixi in *Diss. de obsignatione iudicia-*

Obſ. 369. ad §. DXVII.

*Mutatur*) Hodie delegatio & ceſſio fit ſolo conſenſu. Differt vero a delegatione ceſſio, quod 1) cedere poſſim ei, cui nihil debeo, delegare vero non niſi creditori meo, 2) ceſſionarius agat ex iure ceſſo, is autem cui delegatur iure proprio, ſcilicet propter nouam intercedentem delegati promiſſionem, 3) cedi poſſint debita inuito debitore, quia huius ius deterius non fit, cum exceptiones ſuas non amittat, delegatio vero eo inuito fieri nequeat, quia, dum ſine reſeruatione conſentit, exceptiones quæ obſtabant deleganti amittit (536).

Obſ. 370. ad §. MXXV.

*Pertinere*) Immo ipſa acceptilatio recte dicitur ſtipulatio. Nam fruſtra ſunt qui id propterea negant, quia ſtipulatio ad obligandum non liberandum comparata ſit, cum qui liberationem promittit, ſe obliget ad non petendum. Accedit

---

*diciali Cap. 5. §. 1. ſeq. Edit. Nou. d. a. 1738.*

(536) HEIMBVRG *Diſſ. de iure creditorum facta ceſſione aduerſus tertium competente.* RITTER *Diſſ. de Delegatione.* ZOLLIVS *de delegatione debitoris.*

dit per acceptilationem non eodem modo dissolui obligationem quo contracta, si non stipulatione dissoluitur (537).

# Liber IV. Titulus I.

## De

# Obligationibus, quæ ex delicto nascuntur.

Obs. 371. ad §. MXXXIII.

*Tenent)* Pluribus itaque delictis admissis, ex quibus priuata pœna petitur, alterum alterius pœnam non minuit. Qui igitur hominem surripuit & occidit, furti & aquilia tenetur (538).

Obs. 372. ad §. MXLII.

*Soleat)* In dubio vitæ membrisque impuberis parcendum est, nisi malitia ætatem suppleat, quippequo casu Nemesis Carolina prudentum arbitrio relinquit, an capitali pœnæ vel corporis afflictiuæ locus esse possit (539).

Obs.

(537) HEINECCIVS *ad* VINNIVM *Commentar. ad Institut. ad §. 1. h. t.*

(538) *l. 2. pr. §. 1. 2. D. de priuat. delict.*

(539) CONST. CRIM. CAROL. *Art. 164. Obs. nostr.*

Obſ. 373. ad §. MXLV.

*Reus)* Ipſa tamen res, cum furtum reuera factum ſit, in furtiuam cauſſam cadit, ac proinde vſucapi nequit, antequam vitium purgetur, quod fit, cum in domini poteſtatem verſa fuerit (540).

Obſ. 374. ad §. MXLIX.

*Extat)* Scilicet furti quidam damnatus fuit, quod equo, cuius vſus illi vsque Ariciam commodatus fuerat, vlteriore eius municipii cliuo vectus eſſet. Germani vero eum furti teneri negabant, qui re aliter ac dominus voluerit vſus erat. Dieberey noch Raubes mag er ihn aber daran nicht gezeihen, ſintemahl daß ers ihm ſelber geliehen hat (541).

Obſ. 375. ad §. MLIV.

*Licium)* Quia nudi furta conquirebant, ne quid occulte inferrent, licio cincti erant ad tegendas partes pudendas virginum & matronarum cauſſa. Eadem quoque cauſſa, ne ſcilicet faciem conſpiciendam darent agnoscique ſe paterentur

---

*noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pand. Obſ. 824.* STRVVIVS *Obſeruat. Criminal. Cap. VIII. Obſ. V.*

(540) §. 2. *Inſt. de Vſucap.*

(541) JVS PROV. SAX. *Lib. 3. Art. 22.*

tur a feminis, lancem id est laruam vultui aptabant (542).

Obs. 376. ad §. MLX.

*Testificetur)* Id requirit *l. 4. §. 1. D. ad. Leg. Aquil.* Sed cum intelligatur ex PAVLO (543) & CICERONE (544) nocturnum furem omnimodo occidere lege XII. Tabularum permissum fuisse, eiusque clamoris nemo veterum meminerit, hanc limitationem Triboniano adscribit SCHVLTINGIVS (545).

Obs. 377. ad §. MLXVIII.

*Solet)* Scilicet in Saxonia Electorali, vbi etiam furtum magnum dicitur, quod valo-

(542) AVERRANI *Interpret. Jur. Lib. I. Cap. 26. n. 5. seq. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 826.* KOCH *de furto per lancem liciumue concepto.* WIELINGIVS *Diss. de furto per lancem & licium concepto.*

(543) *Lib. V. Tit. 23. §. 9.*

(544) *Orat. pro Milone Cap 3.*

(545) *Jurisprudent. Antejustin. p. 759. n. 8. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 828.* Add. MÜLLERVS *Diss. de furis nocturni occisione.* RIVINVS *Diss. de iure vitæ & necis in furem priuato competente.*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1850930708/phys_0202
DFG

valorem duodecim Imperialium & duodecim grossorum excedit (546). Extra eam enim vltra ictum fustium cum perpetua relegatione procedi non solet. ICti Jenenses in Saxonia Ducali tunc demum laquei pœnam irrogandam censent, si illud viginti Joachimicorum est (547). Præterea in Saxonia & alibi etiam feminæ laqueo suffocantur (548).

## Obs. 378. ad §. MLXIX.

*Domesticâ)* Sed atrocior pœna scilicet laquei in fures domesticos sancita est iure Brunsuicensi, si furtum quinque Imperialium valorem excedat (549). Dicuntur vero domestici, qui mercede victuque domini

(546) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 830.* KRAVSE *Diss. de eo quod iustum est circa pœnam furti imprimis Jure Saxonico.*

(547) STRVVIVS *Exerc. 48. §. 22.* Conf. HOMMEL *Diss. de furto magno eiusque pœna.*

(548) LVDOVICI *Not. ad* CONST. CRIM. *ad Art. 162.*

(549) ILLVSTRIS AYRER *Diss. de furti domestici pœna in terris Brunsuicensibus.* Add. MVLLER *Diss. de fure domestico.*

mini fruuntur, modo non sint infra annum ætatis decimum octauum (550).

Obs. 379. ad §. MLXIX.

*Restituerunt)* Quod tantum de simplici primo & secundo dicendum est (551). Idem obtinet si rei furtiuæ pretium persoluat, vel dominus actionem sibi competentem sponte remittat & delictum furi condonet (552).

Obs. 380. ad §. MLXX.

*Obtinet)* Sed per Mandatum Electorale nouissimum d. a. 1719. sancitum est, vt heredes furis ex huius bonis semper æstimationem, quam dominus, si aliæ probationes deficiant, iureiurando probare potest, soluere debeant, vt itaque iuris veteris vsus non superstit.

Liber

(550) PVFFENDORFF *Processs. Crim. Luneburg. Cap. 24. §. 40. seq.*

(551) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs 832.* HOMMEL *Diss. de mitiganda furti pœna ob restitutionem rei ablatæ § 10. seq.* KÜNHOLD *Progr. vtrum restitutio rei furto simplici eoque paruo ablatæ liberet a fustigationis pœna.*

(552) PERILLVSTRIS BÖHMERVS *Jurisprud. Criminal. sect. II. Cap. 13. §. 178.* LVDOVICI *Diss. de restitutione rei furtiuæ.*

# Liber IV. Titulus II.
## De
# Vi bonorum raptorum.

Obſ. 381. ad §. MLXXVI.

*Prætore)* Qui tamen læſo dedit electionem, an contra raptorem deprehenſum actionem furti manifeſti inſtituere, an eo non deprehenſo, in triplum agere, vel poſt annum in duplum, quaſi cum fure agere velit (553).

Obſ. 382. ad §. MLXXIX.

*Ordinem)* Si ſcilicet nec ferro vſi ſint, nec ſæpius id fecerint, in metallum dantur, vel in inſulam deportantur (554). Sed ſecundum Jus Carolinum ſemper pœna capitis raptori irrogari debet (555). Quæ tamen ob varias cauſſas mitigari poteſt



(553) *l. 52. §. fin. D. de furtis.* WATER *Obſeruat. Lib. 1. Cap. 5. Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 834.*

(554) *l. 28. §. 10. D. de Pœnis.*

(555) CONST. CRIM. CAR. *Art. 126.* PERILLVSTRIS BOEHMERVS *Element. Jurispr. Crim. ſect. II. Cap. 12. §. 155.*

(556) BEIER *ad* CONST. CRIM. *ad Art. 126.* KRESSIVS *Commentar. ad* CONST. CRIM. *eod.*

test, veluti si vis proprie dicta deficit, si quis aliquem ad permutandum coegit secundum vulgatum: Tausch oder Wechsel ist kein Raub (556). Alicubi etiam extra ordinem coercentur raptores rei minimæ (557).

# Liber IV. Titulus III.

## De

# Lege Aquilia.

Obs. 83. ad §. MLXXXVII.

*Heredem)* Actiones enim poenales non dantur contra heredem (558). Nisi forte ex damno factus sit locupletior (559). Ne scilicet ex delicto defuncti lucrum faciat.

Obs. 384. ad §. MXCII.

*Venit)* Nisi vulneratus sit auctor rixæ. Huic enim vulnerans impensas curationis & damna resarcire non tenetur. Vnde pro-

(557) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 835.*
(558) *l. 38. D. de reg. iur.*
(559) *l. 23. §. 8. D. h. t.*

pronunciari solet: Mit den aufgewandten Heylerlohn aber, wie auch Verbüssung der Schäden, Schmertzen und Versäumniß wird Titius, in Ansehung daß Cajus auctor rixæ gewesen, und zu dieser Ungelegenheit Ursach gegeben, billig verschonet (560).

# Liber IV. Titulus IV.

## De

# Iniuriis.

### Obs. 385. ad §. MXCVII.

*Insignitum*) Ex mente quidem Constitutionis Criminalis (561) omissio nominis auctoris ad libellum famosum requiritur in verbis, und sich nach Ordnung der Recht mit seinen rechten Tauff- und Zunahmen nicht unterschreibet. Sed in Recessu Imperii (562) id correctum est per verba, er habe seinen Nahmen unterschrieben, oder nicht (563).



(560) BERGER *Elect. Jurispr. Crim. Part. 1. supplem. Obs. 25.*

(561) CONST. CRIM. CAROL. *Art. 110.*

(562) *d. a. 1577. Tit. 35. §. 3.*

(563) FINCKELTHAVSS *Obs. 38. Obs. nostr.*

Obſ. 386. ad §. MCIII.

*Vulgus)* In lege *vn. C. de famoſis libellis* eadem pœna plecti iubetur, qui libellum inuentum, quem abolere debebat, in aliorum notitiam protulit. Licet vero Carolus V. talionis pœnam auctoribus ſtatuerit (564) eademque ſeueritas placuerit Electori Saxoniæ Auguſto (565) & Hamburgenſibus (566): tamen in pleriſque locis extra ordinem coercentur (567).

Obſ. 387. ad §. MCVIII.

*Amolitur)* In Saxonia Electorali & prouinciis, quæ parent Pruſſiæ regi, omnis retorſio prohibita eſt (568).

Obſ. 388. ad §. MCX.

*Haberi)* Verius eſt eam pœnalem haberi (569). Nam licet dicant, agi ad perſecu-

---

*noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 845.*

(564) CONST. CRIM. *Art. 110.*

(565) *Part. 4. Conſt. 44.*

(566) STAT. HAMBVRG. *Part. 4. Art. 7.*

(567) PERILLVSTRIS BÖHMERVS *Element. Jurispr. Crim. ſect. 11. Cap. 6. §. 97. Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 846.*

(568) *Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ. 843.*

secutionem famæ quodammodo amissæ: tamen 1) fama per iniuriam non amittitur (570), & si 2) amitteretur, tamen non potest dici, esse in patrimonio, quod in actione rei persecutoria supponitur (571).

Obs. 389. ad §. MCX.

*Solet)* Sed solet vsu forensi deprecatio cum declaratione honoris plerumque coniungi (572).

Obs. 390. ad §. MCXI.

*Colligitur)* Vnde etiam si ægrotans publicam deprecationem per ecclesiæ ministrum e suggestu fecit & iniurias sibi factas remisit, postquam reconualuit, amplius iniuriarum agere nequit. Remissa enim vindicta, etiam actio iniuriarum remissa censeri debet, quia ad vindictam comparata est (573).



(569) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs.* 842.

(570) *l. vn. in fin. C. de fam. libell.*

(571) *l.* 35. *D. de Obl. & Act.* BÖHMERVS *Diss. de iniquit. & iniustit. act. iniur. Cap.* 3. §. 19. *seq.*

(572) SCHÖPFER *Diss. de declaratione honoris.* SANDREITER *Diss. de declaratione honoris iniuriato facta ab iniuriante.*

(573) *Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pan-*

# Liber IV. Titulus V.
## De
# Obligationibus, quæ quasi ex delicto nascuntur.

Obs. 391. ad §. MCXIV.

*Habitatores)* Sed his rursus consulitur actione in factum aduersus deiicientes vel effundentes (574).

Obs. 392. ad §. MCXV.

*Nocitum)* Id est si vulneratus, vel membro mutilatus sit. Propter damna enim, quæ in res liberi hominis facta sunt, actio dupli datur (575).

Obs. 393. ad §. MCXX.

*Præsumitur)* Sed cum vtriusque consensus hic adsit, & caupo rem viatorum saluam fore receperit, id est promiserit (576): consequens est, vt frustra hic supponatur qua-

---

*Pandect. Obs. 844.* STRYCK *de Jure sensuum Diss. 9. Cap. 4. n. 10. seq.*

(574) *l. 5. §. 4. D. de his qui effuder.*

(575) *l. 1. §. 6. D. eod.*

(576) *l. 1. pr. §. 8. D. Naut. caup. stabular.*

quasi contractus. Nam vbi vera promissio siue expressa siue tacita requiritur, ex quasi contractu non oritur obligatio, quippe in qua ficta supponitur. Accedit quod etiam actio conducti vel depositi institui possit (577). Quæ vero locum habere non posset, si ex quasi contractu oriretur obligatio. Igitur verius est, adesse pactum prætorium ex eoque nasci actionem in factum de recepto (578).

Obs. 394. ad §. MCXXIV.

*Frequentantur)* Inde si liber homo occisus fuerit, pœna in auctorem pro gradu culpæ statuitur (579).

# Liber IV. Titulus VI.

## De

# Actionibus.

Obs. 395. ad §. MCXXVII.

*Adpellantur)* Vindicationes nomen acceperunt a vi imaginaria & manus in-



(577) *l. 3. §. 1. D. eod.*

(578) BÖHMERVS *de Actionib. sect. 2. Cap. 7. §. 29. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandectar. Obs.* 177.

(579) PERILLVSTRIS BÖHMERVS *Element. Jurispr. Criminal. sect. 11. Cap. 16. §. 221.*

iectione, quæ in iudiciis realibus obseruabatur. Contra actionibus personalibus condictionis nomen datum, quia sibi inuicem condicebant, id est promittebant litigantes per sponsiones (580).

Obs. 396. ad §. MCXXIX. Schol.

*Agit)* Negat enim reo seruitutem, quam hic sibi competere contendit. Et cum pro actore militet præsumtio libertatis, reus vero se fundet in facto constitutæ seruitutis, quod non præsumitur, consequens est, vt huic onus probandi incumbat.

Obs. 397. ad §. MCXXXIV.

*Petitionis)* Quo etiam nomine in legibus venit (581). Frustra enim sunt qui hic duo remedia fingunt, quorum alterum præparatorium, alterum principale esset, cum rescissio testamenti & ipsa hereditas vna actione peti debeat, daß das errichtete Testament zu rescindiren und Kläger als Erbe ab intestato zu declariren (582).

Obs.

---

(580) HEINECCIVS *ad* VINNIVM *Commentar. ad Instit. h. t. §. 15. n. 2.*

(581) *l. pen. pr. D. de bon. poss. contr. tabul. l. 34. C. de inoff testam.*

(582) BÖHMERVS *de Actionib. sect. 2. Cap. 3. §. 36. seq.*

Obſ. 398. ad §. MCXXXVII.

*Obſeruatum )* Immo obſeruatum eſt, hanc ſententiam iuris principiis maxime conſentaneam eſſe. Tametſi enim ſit in quaſi poſſeſſione, tamen præſumtio pro libertate longe fortior eſt ea, quæ nascitur ex poſſeſſione. Immo licet in ea defenſus ſit, tamen cum adhuc dominus factum neget, adfirmanti incumbit probatio (583). Quæ ſententia etiam probata fuit in terris Pruſſicis (584).

Obſ. 399. ad §. MCXLI.

*Perſonalis)* Quia non contra omnes poſſeſſores rerum in fraudem creditorum alienatarum, ſed fraudis conſcios, vel eos, ad quos titulo lucratiuo peruenerunt, quatenus facti ſunt locupletiores, competit (585). Quando vero inſtituitur, poſtquam creditores in bona debitoris miſſi, & ſic ex iure, quod creditores



(583) *Obſ. noſtr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obſ.* 252. BERGER *Elect. Disceptat. forenſ. p.* 642. BÖHMERVS *l. c. Cap.* 2. §. 40. *ſeq.* THOMASIVS *Diſſ. de onere probandi in actione negatoria.*

(584) EDICTO *de ſummariiſſimo §. 9.*

(585) *l. 6. §. 8. u. D. Quæ in fraud. creditor.*

ditores per immissionem in bona obærati consecuti, reuocatur alienatio perinde ac si facta non esset (586).

Obs. 400. ad §. MCXLVIII.

*Argentarios)* Vel etiam contra tertium ad edenda instrumenta, quæ mihi ad litem sunt proficua, vt ea edat, vel si id dolo malo non faciat, in subsidium ad præstandum id quod interest (587).

Obs. 401. ad §. MCLV.

*Expressum est)* Nisi ab ipsa lege actio nomen acceperit. Quod exemplo actionis legis Aquiliæ intelligitur. Sæpe etiam Doctores nomen tribuunt actioni. Sic condictio, quæ datur ad explendum id, quod legitimæ deest, expletoria seu suppletoria vocatur.

Obs.

(586) *l. 26. D. de pignorat. action. l. 2. D. Qui potior. in pignor.* STRYCK *Vs. Mod. Pandect. Tit. Quæ in fraud. creditor. §. 5. Obs. nostr. ad* LVDOVICI *Doctr. Pandect. Obs. 775.* MENCKEN *Diss de actione Pauliana.* KNEVSEL *Diss. de actione Pauliana.* HENR. NETTELBLADT *Diss. de Paulianæ actionis vero fundamento, obiecto & eius duratione.*

(587) *l. 8. D. de Edendo.*

Obſ. 402. ad §. MCLIX.

*Præſtiterat)* Jureiurando enim quaſi tranſigendo negotium deciditur (588). Quodſi paratus fuerit iurare, ſed ei remiſſum ſit iusiurandum: tamen hæc actio datur, cum eadem vis ſit remiſſi, quæ præſtiti (589).

Obſ. 403. ad §. MCLXV.

*Pertinet)* Scilicet heredem defuncti, vel eum, cui officium funerandi incumbit (590). Negotia enim defuncti geſſiſſe videbatur, qui impenſam in eius funus fecerat ante aditam hereditatem (591). Igitur qui curauit funus adita iam hereditate, habet actionem negotiorum geſtorum (592). Si vero coheres impenſam fecit, eam iudicio familiæ erciscundæ repetere poteſt.

Obſ. 404. ad §. MCLXIX.

*Duplum)* Duplatur vero omne damnum (593). Immo in actione etiam earum rerum

---

(588) *l. 2. 31. D. de iureiurand. l. 21. D. de Dolo.*
